Paul Schwieger

De Cleone Atheniensi

DE

# CLEONE ATHENIENSI.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

AUCTORITATE ET CONSENSU

**AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES CAPESSENDOS**

SCRIPSIT

PAUL SCHWIEGER

BEROLINENSIS.



GOTTINGAE 1873.

Inde a temporibus Thucydidis usque ad nostram aetatem qui de Cleone Atheniensi scripserunt, fere omnes ei conviciati sunt ut viro pessimo, qui civitati Atheniensium summae perniciei fuerit. Namque quem Thucydides βιαιότατον, quem Cicero turbulentum civem nominat, quem Aristophanes sexcenties quasi sentinam et faecem populi Atheniensium denotat, cui omnia honesta atque inhonesta vendere mos fuerit, quem denique omnes veteres una voce condemnant, talem hominem etiam nostrae aetatis scriptores non dubitaverunt in scelestissimorum civium Atheniensium numero habere. — Qui primus pro Cleonis politicis et rebus et consiliis scribere conatus est, Droysen[1]), admodum etiam hic veritus, ne crimini sibi verteretur, quod abiectissimum demagogum defendere auderet, in cuius reprehensione paene omnes et veteres et recentiores scriptores consentirent, rectissime intellexit, omnia, quae veteres scriptores de Cleone tradidissent, ex fontibus saeva factionum dissensione turbatis fluxisse. Idem quod Droysen instituerunt G. Grote[2]), Oncken[3]), hic illic alius. Sed cum omnes illi viri, studiis magis historicis quam philologicis dediti, memoria rerum gestarum ducti rem tractaverint, meum restat, fontibus inter se comparatis vera et falsa diiudicare atque quid de Cleonis et rebus

---

1) In praef. ad Aristoph. Equit., versionis Germanicae tom. II, pg. 279—312, edit. II tom. I, pg. 81—96.

2) Gesch. Griechenlands. Deutsch von Dr. Meissner. Leipzig, 1853.

3) Athen und Hellas. 2 Bände. Leipzig, 1866.

gestis et moribus traditum sit, singillatim examinare, ut qualis ille fuerit eluceat. Qua in re cavendum est, ne sicut obtrectatores eius faciamus, qui quidquid ei bene profecit, casu evenisse, quod male, vitio ei vertendum esse existimant.

Atque cum in numero eorum, qui de Cleone memoriae tradiderunt, gravissimi auctores sint Aristophanes et Thucydides, primum videamus, qualis sit Cleon Aristophanicus, atque hoc ita instituamus, ut de singulis locis, qui in Aristophanis comoediis ad Cleonem spectent, disseramus et diiudicemus, quid in iis veri, quid falsi insit, tum perlustremus, quid a Thucydide atque alibi traditum sit, ut quatenus nostro tempore fieri potest, verum Cleonem cognoscamus.

Incipio igitur ab Aristophane. Cuius testimoniis quantum fidei et auctoritatis tribuendum sit ut cognoscatur, necesse est paullo longius de comoediae antiquae, praesertim Aristophanicae, indole ac ratione disserere. Qua in re mirum quantum inter se discrepant sententiae doctorum virorum cum veterum tum multo magis nostrae aetatis. Atque quid sibi velit comoedia, optime apparet ex Aristotele[4]. . . . . οὕτως καὶ τὰ τῆς κωμῳδίας σχήματα πρῶτος ὑπέδειξεν (Ὅμηρος), οὐ ψόγον ἀλλὰ τὸ γελοῖον δραματοποιήσας — et[5]): ἡ δὲ κωμῳδία ἐστὶν . . . μίμησις φαυλοτέρων μέν, οὐ μέντοι κατὰ πᾶσαν κακίαν, ἀλλὰ τοῦ αἰσχροῦ ἐστι τὸ γελοῖον μόριον, quocum consentit definitio ex codice quodam antiquo sumpta: κωμῳδία ἐστὶ μίμησις πράξεως γελοίου . . . καὶ δι' ἀπαγγελίας, δι' ἡδονῆς καὶ γέλωτος περαίνουσα τὴν τῶν τοιούτων παθημάτων κάθαρσιν · ἔχει δὲ μητέρα τὸν γέλωτα.[6]) Adde etiam quod legitur in vita Aristophanis[7]): αἴτιον γὰρ κωμῳδίας τὸ σκώπτειν τινάς, atque apud Ciceronem (de rep. IV, 11), qui comoediam imitationem vitae, speculum consuetudinis, imaginem veritatis nominat. — Erat igitur proprium comoediae il-

[4]) Poet. cp. IV, pg. 1448 b, 36 sqq., cf. Bentl. opusc. phil. pg. 265.

[5]) cp. V, pg. 1449 a, 31 sqq.

[6]) cf. Cramer Anecd. Paris. I, 403; Meineke Frgmt. comic. Graec. II, 2, 1254

[7]) In editione Meinekii I, pg. Xb lin. 9.

ludendo atque irridendo singulos homines risum movere spectatorum. Quod nemo fortasse poeta tam constanter perduxit quam Aristophanes. Neque vero hoc unum vel summum sibi proposuerunt qui illis temporibus comoedias scripserunt, imprimis Aristophanes. „Comicae poesi, qualis apud Atticos Aristophanis aetate florebat, unum semper idemque erat argumentum propositum, civitatis status et conditio. Quo quidem in argumento Aristophanes ita versari solebat, ut aliquam urbis partem, quae laborare ipsi prae ceteris et in perniciem ruere videbatur, tota vi facetiarum ingeniique acie in scena exploderet, simul vero occasionibus oblatis uteretur, quibus reliquos etiam civitatis morbos patefaceret et si qua iis medela afferri posset, eam pro virili monstraret. Hinc quaevis eius comoedia, licet unam rem singularem risui exponat, tamen animum audientium ad totius civitatis incommoda convertit.“[8]) Simul igitur et iocandi et cives docendi causa poeta comoedias suas composuit. „Etenim in periculosa civitatis conditione, quae post Periclis mortem in summas tempestates inciderat et in dies magis ad perniciem vergebat, etiam comoediam ille, si recte factitaretur, ad malorum molem perfringendam aptam et idoneam esse censuit.“[9]) Primus igitur Aristophanes cum in pristina comoediae forma sibi non acquiescendum esse intelligeret, aliam ingressus est viam, ut comoediam ad altiora eveheret eamque idoneam faceret, quae rempublicam adiuvaret. Tota enim pristinae comoediae ratione commutata evitavit si non omnino, ut ipse dicit[10]), at certe adhibuit multo rarius et moderatius omnes illos

---

[8]) Sumpta haec sunt ex C. Ferdinandi Rankii de Nubibus Aristophanis ad Leopoldum fratrem epistola, Berolini, 1844, pg. 3. Cf. Wieland, Uebersetzung der Wolken, Wien, 1813, pg. 107 sq.

[9]) Ranke, comment. de vita Arist. ante edit. Mein. pg. XV.

[10]) cf. Nubium parabasin, vv. 518 sqq. et. v. 296: οὐ μὴ σκώψει μηδὲ ποιήσεις ἅπερ οἱ τρυγοδαίμονες οὗτοι, ubi scholiastes in adnotatione editionis Fr. Aug. Wolffii haec exhibet: τρυγοδαίμονες —: οἱ κωμικοὶ παρὰ τὸ κακοδαίμονες· ἐπεὶ πολλοὶ ἐν τοῖς ποιήμασιν αὐτῶν ἀνθρώπους εἰςῆγον χέζοντάς τε καὶ ἕτερα αἰσχρὰ ποιοῦντας. Λέγει δὲ δι' Εὔπολιν καὶ Κρατῖνον καὶ τοὺς ἄλλους. Cf. K. O. Müller, Griech. Litt. II, 211.

iocos obscenos resque vel nullius pretii vel vilissime inventas, infimae autem plebi acceptissimas, quibus ante eum utebantur comici poetae, atque potius ad rem publicam accessit. Qua in re mirum quantum studuit, ut cives bonos confirmaret, malos castigaret, ut leges et instituta a patribus tradita custodiret, denique ut civitatis salutem tueretur. Rectissime igitur indolem veteris comoediae Atticae intellexerunt, qui politicam eam nominaverunt, cum tota in rebus publicis versata sit.[11]) Sed quamvis verum sit, Aristophanis comoedias, quae aetatem tulerunt, fere omnes ad communem omnium civium salutem spectare, tamen nunquam vir vere ingeniosus oblitus est, se esse poetam comicum, neque unquam omisit, quoquo potuit modo risum movere spectantium. Quare sicut omnes poetae illi priscae comoediae, ne Aristophanes quidem unquam dubitavit, iocandi causa vera atque falsa commiscere, optimo cuique civi vilissimas res crimini dare. Non tantum

Si quis erat dignus describi quod malus aut fur,
Quod moechus foret, aut sicarius, aut alioqui
Famosus, multa cum libertate notabant,

sed et omnia, licet essent optima, aggredi solebant eosque potissimum viros plebis risui exponere, qui meritis conspicui erant ac rebus praeclare gestis auctoritatem apud cives fuerant adepti (cf. Cic. de rep. 4, 10). Quare pari modo Aristophanes illudit Pericli, Cleoni, Niciae, Lamacho, Euripidi, Socrati, omnibus, qui in civitate auctoritate quadam florebant. Atque merito. Nunquam enim volebat esse scriptor rerum gestarum, sed erat poeta comicus, qui omnibus viribus in eos invehebatur, quibuscum vel privatim ei odium fuit, vel qui in republica eius adversarii erant. Quare ubicunque de rebus politicis vel domesticis, de contionibus, de iudiciis, de vita et moribus Atheniensium dicit, nemo est, cui maiorem in talibus rebus tribuere possimus auctoritatem. Contra, ubi in singulos invehitur, nunquam ei fides habenda

---

11) cf. Dionys. Hal. art. Rhet. pg. 302 R. Cognovit Dionysius antiquam comoediam esse politicam et una cum ridiculis seria prae se ferre.

est. In promptu sunt multa testimonia. Poeta non dubitat, Cratinum, ingeniosissimum senem, qui eius quasi magister fuit in rebus comicis, nequissime, ut nobis videtur, aggredi. „Quem ut decrepitum senem et propinquum delirio cum risisset in parabasi Equitum (vv. 528 sqq.), irritatus iactorum in se dicteriorum contumelia Cratinus sequenti anno Πυτίνην fabulam miro omnium applausu docuit.“ Etiam alii illius temporis poetae cavillationibus petuntur, persaepe Euripides in Ranis, Thesmophoriazusis, maxime in Nubibus (vv. 883, 915 sqq., 1368, cf. edit. Fr. Aug. Wolffii), Phrynichus, quem in Avibus (v. 750) ut plagiarium perstringit, Sophocles (cf. Pac. v. 697), item Carcinus filiusque Xenocles (cf. Nubb. 1260 sqq.). In tanta conviciandi libidine non mirum est fervidi virum ingenii etiam summos homines vexasse, ut Periclem, quem saepius aggressus est, velut in Acharnensibus (vv. 524 sqq.), ubi Pericles et Aspasia impudicissime denotantur, quasi auctores belli (cf. etiam Pac. vv. 606 sqq.) duorum scortorum causa fuerint. — Neque minus invehitur in Niciam, cuius cunctationem (cf. Avv. 640) et superstitionem anilem persaepe denotat[12]), in eundemque poetae Amphiaraus, quae fabula initio anni 414 docta est, scriptus esse videtur Bentleio et Suevernio[13]), quod negat Bergk apud Meinekium.[14]) Eodem modo aggreditur poeta deos indigetes, Dionysum in Ranis, Hermem in Pace, Irin, Heraclem, Poseidonem in Avibus. Quin etiam ne populo quidem ipsi tyranno parcit, quippe qui non dubitet, coram spectantibus populum dicere δύςκολον γερόντιον ὑπόκωφον cet. (Equ. 40 sqq.), qui (v. 1262) urbem Athenarum satis acerbe vocet Κεχηναίων πόλιν et in Babyloniis (Mein. II, 2, 967) Athenienses nominet χαυνοπολίτας. Confer etiam versus illos ex Aristophanis Babyloniis desumptos, quibus vituperat populum Atheniensem, qui prae nimia exspecta-

---

[12]) cf. etiam Thucyd. VII, 50: καὶ Νικίας, ἦν γάρτι καὶ ἄγαν θειασμῷ τε καὶ τῷ τοιούτῳ προσκείμενος, οὐδ' ἂν διαβουλεύσασθαι ἔτι ἔφη, πρὶν ὡς οἱ μάντεις ἐξηγοῦντο, τρὶς ἐννέα ἡμέρας μεῖναι. (Plut. vit. Nic. cp. 4 et 5).

[13]) Comment. de Avibus pg. 58 sq.

[14]) Frgm. comic. Graec. II, 2, 949 sqq.

tione tanquam concha hiet (similiter Acharn. vv. 133 et 634 sqq.). Affert illos versus Bergk (apud Mein. II, 2, 976, fr. 15):

Ἀνέχασκον εἷς ἕκαστος ἐμφερέστατα
ὀπτωμέναις κόγχαισιν ἐπὶ τῶν ἀνθράκων.

Evidentissimum testimonium, Aristophanis in singulis hominibus cavillandis veritati nunquam nimis credendum eiusque auctoritati non adeo multum nobis tribuendum esse, exstat in protervitate, qua tractavit Socratem philosophum. In quem poeta tali modo invectus est, ut nisi ex aliis sincerioribus fontibus eum cognosceremus, eum quasi perniciem iuvenum Atheniensium nos habere oporteret.[15])

Cum igitur Aristophanes in cavillando et calumniando tot tantisque viris non pepercerit, facile quisque credet, eum etiam in Cleonem, qui summa illis temporibus gratia et auctoritate apud Athenienses florebat, non ita clementer se gessisse, praesertim cum, quod infra videbimus, illum poetae fuisse infestissimum constet. Quare hoc erit fundamentum nostrum in diiudicandis Aristophanis de Cleone locis, ut si quid mali de eo afferatur, fictum id esse credamus, nisi aliis quoque nitatur argumentis, si quid boni vel medii de eius rebus domesticis et politicis praedicetur, sine dubitatione id pro vero habeamus.

His in universum expositis iam ad singula accedamus. Atque iam in Babyloniis[16]) ab Aristophane Cleonem graviter exagitatum esse constat. In quibus poeta causam sociorum, quorum legati Dionysiorum solennitati ipsi interfuerunt, tam fervide egit contra Cleonis dominationem, ut a demagogo in ius vocaretur, quod apparet ex parabasi Acharnensium, ubi recte dicit Scholiastes: ἐκωμῴδησε γὰρ τάςτε κληρωτὰς καὶ χειροτονητὰς ἀρχὰς καὶ Κλέωνα παρόντων τῶν ξένων (de qua causa cf. infra). Referendum

---

15) Cf. Droysen, praefat. ad. Ran., II, 258.

16) Quam fabulam poeta secundam post Daetalenses in scenam exhibuit anno ante Acharnenses, magnis Dionysiis anni 426 (cf. Bergk apud Mein. fr. com. Gr. II, 2, 966), advertit autem animum in comoedia illa primum ad res publicas, cum in Daetalensibus vitam Atheniensium privatam perstrinxisset.

esse ad hanc rem videtur fragmentum quoddam, quod Athenaeus (IX, pg. 494 D) ex Babyloniis affert.[17]) Bacchum enim induxit poeta, quem viri populares in ius vocaverant, atque a quo satis impudenter dona flagitabant, nisi capitis damnari vellet. Quos viros Cleonem eiusque socios esse licet coniectura assequi.

Vehementius poeta eum aggressus est in sequentis anni fabula usque ad nostrum tempus servata. Iam initio Acharnensium, quae fabula docta est Ol. 88, 3 (425), inest gravior quaedam accusatio. Dicaeopolim gaudentem inducit poeta, quod Cleon quinque talenta reddere coactus sit ab equitibus. De hac re Scholiastes (v. 6) haec habet: ἐζημιώθη γὰρ ὁ Κλέων πέντε τάλαντα διὰ τὸ ὑβρίζειν τοὺς ἱππέας. παρὰ τῶν νησιωτῶν ἔλαβε πέντε τάλαντα ὁ Κλέων, ἵνα πείσῃ τοὺς Ἀθηναίους κουφίσαι αὐτοὺς τῆς εἰσφορᾶς. αἰσθόμενοι δὲ οἱ ἱππεῖς ἀντέλεγον καὶ ἀπήτησαν αὐτόν. μέμνηται Θεόπομπος. Apparet eum duas res commiscere. Namque cum Cleonem quinque talentis multatum esse apud eum constaret, causas affert duas, alteram, quod equites contumeliis affecerit, alteram auctore Theopompo, quod ab insulanis quinque talenta acceperit, ut Athenienses adduceret ad diminuendum illis tributum. Equidem illa causa omissa hanc veram fuisse credam auctore Böckhio (Staatsh. I, 504), quocum consentit auctor hypothesis secundae Equitum (Mein. edit. Arist. I, 275, l. 21): ἐζημίωσαν τὸν Κλέωνα πέντε ταλάντοις ἐπὶ δωροδοκίᾳ ἁλόντα. Erat actio, quae dicitur γραφὴ δώρων. Quare non recte Mueller[18]) omnia Scholiastae verba Theopompo tribuit, cum priorem partem ab ipso Scholiasta scriptam esse eluceat. Sed caveamus, ne nimium auctoritatis huic testimonio tribuamus, cum perfacile causa illa Theopompi, quam poeta ipse celavit, ex solis poetae verbis fluxisse possit, et si quidem vera est, largitioni vix quisquam Graecorum restiterit.

Persistamus aliquantum in hac re, cum saepius Aristophanes

---

17) cf. Bergk apud Mein. fr. com. Gr. II, 2, 978, Frgm. XVII.

18) Frgm. histor. Graec. ed. Mueller. Paris. Didot 1841.

Cleonis animum venalem depinxerit. Omittamus omnes locos, quibus improbitas et fraus in rebus publicis commissa ei obiiciuntur singula criminatione non addita (Equ. 103, 258 sqq., 802, 1408 alibi). Affero primum Equ. v. 438: σὲ δ' ἐκ Ποτιδαίας ἔχοντ' εὖ οἶδα δέκα τάλαντα, ubi Cleonem decem talentis a Potidaeensibus corruptum esse Allantopoles obiicit. Quod esse plane commenticium, iam Scholiasta vidit, cum dicat, numerum et locum affere eos solere, qui rem fictam verisimiliorem facere vellent. Haec habet: . . . ἀπὸ ταύτης φησὶ τῆς πόλεως κεκλοφέναι δέκα τάλαντα τὸν Κλέωνα, καὶ τούτῳ φιλονεικῶν αὐτὸν ἀμείβεσθαι τοῖς ἴσοις, ἐπεὶ πρότερος ἐκεῖνος ἔφησεν αὐτὸν σφετερίσασθαι τῆς πόλεως τάλαντα πολλά. — Et: χρησίμως μετὰ τὸν τόπον καὶ τὸν ἀριθμὸν εἶπεν, ἵνα ὁ λόγος αὐτῷ πίστεως ἔχεσθαι δοκῇ, καὶ μὴ ἄλλως τῆς τοῦ Κλέωνος διαβολῆς λελέχθαι χάριν. πίστεως γὰρ παράδειγμα τὸν κατηγοροῦντα μὴ ψιλοῖς χρῆσθαι ῥήμασιν, ἀλλὰ καὶ ἀριθμὸν προβάλλεσθαι καὶ τόπον. Rectissime intellexit Scholiasta, nihil aliud sibi proposuisse poetam nisi ut risum moveret spectatorum quoquo posset modo. Apparet, ne Scholiastam quidem ipsum criminationes illas veras habuisse. — Tum ex Equ. vv. 931 sqq. (cf. 361) apparet, poetam de Cleone a Milesiis pecunia corrupto dicere. Sed nihil alibi de hac re constat. Quare criminatio videtur talis, qualem iam vidimus et plures videbimus. Certum est, in loquacium Atheniensium urbe quotidie novos exstitisse rumores, qui quamvis falsi cum ad optimum et summum quemque spectarent, facile percrebrescebant et a vulgo credebantur. Quos rumores poetae comici libenter receperunt in comoedias, auxerunt in maius, loco, nominibus, numeris appositis credibiles effecerunt, nulla alia causa commoti nisi ut in adversarios quoquo modo possent odium civium concitarent, vel ut risum spectantium moverent. Errant, qui veritatis studiosissimos fuisse Aristophanem, Cratinum, Eupolim, ceteros comicos poetas existimant. His viris nihil tam divinum, nihil tam integrum fuit, quod non iocandi causa obtererent. Permulta exstant exempla, evidentissimum apud Aristophanem ipsum. A Mytilenaeis Cleonem

corruptum esse pecunia Allantopolam affirmantem facit. Equ. 834 sq.: καί σ' ἐπιδείξω . . . δωροδοκήσαντ' ἐκ Μυτιλήνης πλεῖν ἢ μνᾶς τετταράκοντα. Quam criminationem plane perversam esse ostendit Droysen.[19]) Namque, quod Thucydides testatur, non Cleon, sed Diodotus, eius adversarius, pro Mytilenaeis orationem habuit. De corruptione illa apud Thucydidem nihil invenitur, qui certe non omisisset, si non ipse talia commemorare, at tamen Diodotum dicentem facere, praesertim cum Cleon et ipse Diodoto obiicere non dubitaverit, eum esse pecunia corruptum. Namque valde errat Scholiasta Luciani ad Timon. § 30, qui Thucydidem talia afferre affirmat. Cuius verba haec sunt: τῆς τε νυκτὸς ἐπιούσης ἐλθόντων ὡς αὐτὸν τῶν ἐπιδημούντων Ἀθήνησι Λεσβίων, καὶ δέκα ταλάντοις αὐτὸν ἀργυρίου μετελθόντων, μεταπεῖσαι πάλιν τὸν δῆμον. Οὕτω, addit, Θουκυδίδης. Hoc plane esse commenticium apparet. Namque apud Thucydidem nihil eiusmodi invenitur. Contra Thucydides liquido affirmat (III, 36 fin.: Κλέων . . ., ὅσπερ καὶ τὴν προτέραν ἐνενικήκει ὥςτε ἀποκτεῖναι . . . παρελθὼν αὖθις ἔλεγε τοιάδε.), Cleonem in sententia sibi constitisse, eum non mutasse sententiam. Iam, quam vana sit haec criminatio, ex eo apparet, quod pecunia apud Scholiastam decem talentorum, apud ipsum Aristophanem plus quam quadraginta minarum tantum nominatur. Probabile mihi videtur, totam illam sententiam Scholiastae natam esse non ex fontibus certis, sed ex verbis poetae non recte explicatis. Quod habet Scholiasta Aristophanis (ad Equ. v. 834), nullius momenti est, cum plane nihil insit novi, quod non ex poetae verbis descriptum sit, contra insint quaedam non accurate tradita. Narrat enim haec: Ὄντως ἐδωροδόκησεν ὁ Κλέων ἐκ Μυτιλήνης (οὐ μόνον δὲ τὸ δῶρα διδόναι καὶ ἀναπείθειν, ἀλλὰ καὶ τὰ λαμβάνειν.) . . . Sequitur decretum illud Atheniensium: τῇ δευτεραίᾳ δὲ μετανοοῦντας αἰσθόμενος ἐπὶ τοῖς προτέροις γνωσθεῖσι Διόδοτος, εἷς καὶ αὐτὸς ὢν τῶν πολιτευομένων τότε, γενομένης δὶς τῆς ἐκκλησίας, καὶ οὐδὲν

[19]) In praef. ad. Equit., I, 83.

ἀντιλέγοντος τοῦ Κλέωνος (at cf. Thucyd., qui his verbis plane contrariatur) καὶ παρακελευομένου τοῖς δόξασιν ἅπαξ ἐμμένειν, παρελθὼν μεταγνῶναι τοὺς Ἀθηναίους ἔπεισεν. e. 1. s. . . . παρὰ τοσοῦτον κινδύνου ἡ Μυτιλήνη ἦλθεν. ἀπὸ ταύτης οὖν φησιν αὐτὸν ἐπιδείξειν τὸ ἀργύριον εἰληφότα, λεληθότως δὲ πάλιν αὐτὸν εἰς ὠμότητα διαβάλλων τῶν τρόπων. οὐ γὰρ φαίνεται λαβὼν πλὴν ἢ μνᾶς μ' παρὰ τῶν Μυτιληναίων ὁ Κλέων μισθόν. πιθανῶς δὲ ἐπλάσατο αὐτὸν εἰληφέναι, ἐπειδὴ πρότερος ἐκεῖνός φησιν αὐτὸν δέκα μυριάδας πόλεως κεκλοφέναι. φιλονεικεῖ δὲ ἐν πᾶσιν αὐτὸν ἀμείβεσθαι τοῖς ἴσοις.

Quae cum ita sint, omnia, quae hic illic apud Aristophanem de Cleonis animo venali narrantur, minima fide digna esse elucet. Accedit, quod eundem Cleonem, quem corruptum fuisse adversarii asseverabant, non cum divitibus civibus conspirasse constat, sed plebi servivisse et cum faece populi consuetudine coniunctum fuisse. Certe domi Cleon pecuniam accipere non potuit et foris eum hoc non fecisse quis est quin credat, cum certum sit, eum optimas occasiones praetermisisse? Quid Mytilenaei illi, quid Lacedaemonii pacem petentes dedissent, ut virum tantae apud plebem auctoritatis sibi conciliarent?

Sed redeamus iam ad Acharnenses. Ex vv. 300 sqq.: ὡς μεμίσηκά σε Κλέωνος ἔτι μᾶλλον, ὃν ἐγὼ τεμῶ τοῖσιν ἱππεῦσι καττύματα, apparet, quantum fuerit poetae in Cleonem odium. Cuius odii causam poeta saepissime ipse affert. Constat enim, Aristophanem a Cleone saepius in ius vocatum esse. Qua re cum clarum fiat, infestissimum fuisse poetam demagogo, digna videtur, de qua paullo uberius disseratur.[20]) Atque ter poetam reum factum esse verisimile videtur, sive ab ipso Cleone accusatus est sive ab alio quo, quem ille subornaverat. Primum brevi post Babylonios doctam (Ol. 88, 2=426) Cleon ei diem dixit. Quod apparet ex Ach. vv. 377 sqq.:

---

20) De qua re cf. Bergk apud Schmidt Zeitschr. für Geschichtswissenschaft II, 208 sqq. eiusque dissertationem ante editionem Frgm. com. Graec. Mein. II, 2, 937, Aristoph. Ach. 377 sqq., 502 sq., 630 sqq., 659 sq., Vesp. 1284.

αὐτός τ' ἐμαυτὸν ὑπὸ Κλέωνος ἅπαθον
ἐπίσταμαι διὰ τὴν πέρυσι κωμῳδίαν.
εἰσελκύσας γάρ μ' ἐς τὸ βουλευτήριον
διέβαλλε καὶ ψευδῆ κατεγλώττιζέ μου
κἀκυκλοβόρει κἄπλυνεν, ὥστ' ὀλίγου πάνυ
ἀπωλόμην μολυνοπραγμονούμενος,

ubi Scholiasta haec habet: . . . ἐκωμῴδησε γὰρ τάς τε κληρωτὰς καὶ χειροτονητὰς ἀρχάς, καὶ Κλέωνα, παρόντων τῶν ξένων. καὶ διὰ τοῦτο ὀργισθεὶς ὁ Κλέων ἐγράψατο αὐτὸν ἀδικίας εἰς τοὺς πολίτας, ὡς εἰς ὕβριν τοῦ δήμου καὶ τῆς βουλῆς ταῦτα πεποιηκότα. καὶ ξενίας δὲ αὐτὸν ἐγράψατο καὶ εἰς ἀγῶνα ἐνέβαλεν. Iniuriae igitur accusatus est (γραφὴ ἀδικίας), quod, cum multi peregrini Dionysiorum solennitatis causa Athenis morarentur, populum eiusque magistratus, maxime ipsum Cleonem irrisisset. Consentiunt cum hac sententia Ach. vv. 502 sq.:

οὐ γάρ με νῦν γε διαβαλεῖ Κλέων ὅτι
ξένων παρόντων τὴν πόλιν κακῶς λέγω,

ubi Scholiasta haec habet: Διὰ τὸ ἐν τοῖς Βαβυλωνίοις πολλῶν παρόντων ξένων εἰρηκέναι κατὰ πολλῶν τὸν Ἀριστοφάνην. διὸ καὶ κατηγορήθη ὑπὸ τοῦ Κλέωνος. Cleonem iratum, quod se ipsum contumeliis affecisset poeta, praetexuisse, rem publicum laesam esse, apparet ex Ach. v. 515: ἡμῶν γὰρ ἄνδρες, οὐχὶ τὴν πόλιν λέγω e. q. s. — Quae accusatio quamquam contra unum hunc poetam tantum instituta est, tamen maioris momenti habenda est. „Agebatur enim simul, ut recte intellexit Ranke (apud Mein. pg. XVI), tota poesis comicae res, quae quidem, si hic poeta a Cleone superatus et a senatu punitus esset, longe minus fortiter progredi potuisset.“ Sed recte fecit Cleon, quia certe poeta maiore usus erat dicendi libertate, quam quae tolerari posset. Neque vero quod voluit Cleon assecutus est, cum nec poetam poenis afficere neque artem comicam coercere posset. — Quare denuo mali quid in Aristophanem machinabatur eumque tamquam peregrinum accusavit (γραφὴ ξενίας, cf. supra Schol. ad Ach. v. 377), ut poetae facultatem demeret in posterum comoe-

diarum docendarum.[21]) Neque vero rumor ille de Aristophanis peregrinitate plane inanis videtur fuisse, cum et Eupolis (cf. Frgm. incertum I apud Mein.) idem ei obiiciat et poeta ipse Aeginam insulam patriam suam indicet (Ach. 652 sqq.:

διὰ ταῦθ' ὑμᾶς Λακεδαιμόνιοι τὴν εἰρήνην προκαλοῦνται
καὶ τὴν Αἴγιναν ἀπαιτοῦσιν· καὶ τῆς νήσου μὲν ἐκείνης
οὐ φροντίζουσ', ἀλλ' ἵνα τοῦτον τὸν ποιητὴν ἀφέλωνται),

nisi forte praedia tantum in hac insula habebat et actio illa peregrinitatis hoc argumento nitebatur. Qua accusatione gravissima Aristophanes se liberasse dicitur versibus illis Homericis allatis (Od. I, 215 sq.):

Μήτηρ μέν τ' ἐμέ φησι τοῦ ἔμμεναι· αὐτὰρ ἔγωγε
οὐκ οἶδ'· οὐ γάρ πώ τις ἑὸν γόνον αὐτὸς ἀνέγνω.

Tertio poetam a Cleone in magnum discrimen vocatum esse apparet ex Vesp. vv. 1284 sqq.:

εἰσί τινες οἵ μ' ἔλεγον ὡς καταδιηλλάγην,
ἡνίκα Κλέων μ' ὑπετάραττεν ἐπικείμενος
καί με κακίαις ἔκνισε· κᾆθ' ὅτ' ἀπεδειρόμην,
ἐκτὸς ἐγέλων μέγα κεκραγότα θεώμενοι,
οὐδὲν ἄρ' ἐμοῦ μέλον, ὅσον δὲ μόνον εἰδέναι
σκωμμάτιον εἴ ποτέ τι θλιβόμενος ἐκβαλῶ.
ταῦτα κατιδὼν ὑπότι μικρόν ἐπιθήκισα·
εἶτα νῦν ἐξηπάτησεν ἡ χάραξ τὴν ἄμπελον.

Rumores exstitisse dicit poeta, se cum Cleone in gratiam rediisse, cum Equitibus doctis ab illo valde pressus esset; et certe post Equites doctos non tam acerbe in demagogum consuluisse videtur, quamquam nunquam desiit eius esse adversarius. Cessit tantum aliquamdiu Cleonis potentiae. Duae poetae comoediae inter Equites et Vespas in scenam prodierunt. In utraque aliquantum Cleoni pepercisse videtur. Namque in Nubibus, quae fabula docta est anno Equites insequente,[22]) haec inveniuntur tantum, quae ad

---

21) cf. Ranke apud Mein. pg. IX.
22) cf. de Nubibus Ranke aqud Mein. pg. XXVII sqq.

Cleonem spectent. Nominat eum in transcursu (581 sqq.) βυρσοδέψην Παφλαγόνα, tum de eius militari imperio quaedam iocose addit hortaturque cives, ut illius dominationem ferre desinant, 591: Κλέωνα τὸν λάρον, δώρων ἑλόντες καὶ κλοπῆς. Quin etiam ipse profitetur, se Cleoni pepercisse, cum dicat vv. 549 sq.:

ὃς μέγιστον ὄντα Κλέων' ἔπαισ' εἰς τὴν γαστέρα,
κοὐκ ἐτόλμησ' αὖθις ἐπεμπηδῆσ' αὐτῷ κειμένῳ.

Simili modo etiam in altera comoedia Cleonis nomen obiter tantum tetigisse videtur. Dico illud drama, quod inscriptum est Ὁλκάδες, doctum Ol. 89, 1 Lenaeis, eodem anno, quo Nubes.[23]) Quod drama aetatem non tulit, supersunt pauca fragmenta. Ex quibus ad Cleonem spectat fragmentum XI (pg. 1120):

Ἀδαχεῖ γὰρ αὐτὸν τὸν ἄχορ' ἐκλέγει τ' ἀεὶ
ἐκ τοῦ γενείου τὰς πολιάς.

(cf. Mein.) de Cleonis blanditiis in populum Atheniensem, tanquam senem hebetem et obtusum (cf. Equ. 908). Tum (pg. 1196) versus ille:

Ὤμην δ' ἐγὼ τὸν Κυκλοβόρου καθιέναι

(cf. Schol. Equ. 137) ad Cleonis vociferationem referendus esse videtur atque fortasse hic versus ad Holcades pertinet. — Pauca haec sunt neque multum in iis inest vexationis in Cleonem. Eo magis dedita opera in Vespis eum aggressus est, quod infra uberius videbimus. Quare recte de se dixit: Εἶτα νῦν ἐξηπάτησεν ἡ χάραξ τὴν ἄμπελον. Fuerunt, qui auctore Grammatico, qui de vita Aristophanis scripsit, versus illos (Vesp. 1284—1291) ad id tempus referendos esse putarent, quod proxime Babylonios secutum est. Sed biographum errare satis demonstravit Bergk (apud Mein. II, 2, pg. 936 sqq.) Apparere videtur huic viro satis liquido ex illo loco, Cleonem post Equitum commissionem tertio poetam in iudicium vocavisse. — Constat igitur, poetam ter a Cleone in ius vocatum esse, atque omnino nunquam demagogum illi ignovisse valde verisimile est. Quare vix quisquam mirabitur,

---

[23]) cf. Mein. Frgm. com. Gr. II, 2, 1116.

quod Aristophanem infestissimo odio in virum illum popularem exagitatum fuisse saepissime videmus.

Sed haec hactenus. Redeamus ad comoedias ipsas perlustrandas. Atque quod poeta civibus promiserat (Ach. 301), se Cleonem Equitum fabula perstricturum esse, insequenti anno (Ol. 88, 4 = 424) vehementissime fecit. Quae comoedia tota fere in Cleone vexando versatur atque plena est iniuriarum et contumeliarum in hunc virum coniectarum. Equites ipsi poetam adiuvabant, cum chorum comicum agerent, namque omni modo eum insultabant ut hominem nequissimum, cf. Equ. 247 sqq.:

παῖε παῖε τὸν πανοῦργον καὶ ταραξιππόστρατον
καὶ τελώνην καὶ φάραγγα καὶ χάρυβδιν ἁρπαγῆς,
καὶ πανοῦργον καὶ πανοῦργον· κτλ.

Videamus singula. Iam versu 44 sq.:

ἐπρίατο δοῦλον, βυρσοδέψην Παφλαγόνα,
πανουργότατον καὶ διαβολώτατόν τινα.

(cf. 684) poeta eum vehementer depingit. Apparet, quod etiam Scholiasta (v. 44: . . . ἐπειδὴ ὁ πατὴρ αὐτοῦ Κλεώνυμος ἐργαστήριον εἶχε δούλων βυρσοδεψῶν) refert, patrem Cleonis servorum ergastulum possedisse, qui coria depserent, eandemque artem a filio esse cultam. Tale negotium, quod sexcenties Aristophanes ut vile et inhonestum denotat atque ex quo acerbissimas ad cavillandum Cleonem facetias hausit, minime a civibus illius temporis viro libero atque honesto indignum habitum esse, iam ex eo apparet, quod Aspasia, quae per tot annos Periclis in fastigio potentiae positi familiaritate utebatur, illo mortuo non dubitabat, Lysicli pecuario nubere.[24]) Adde etiam, quae inveniuntur apud Thucydidem (II, 40), ubi Pericles magnis laudibus effert Athenienses, quod in iisdem insit οἰκείων ἅμα καὶ πολιτικῶν ἐπιμέλεια, καὶ ἑτέροις πρὸς ἔργα τετραμμένοις τὰ πολιτικὰ μὴ

---

[24]) Cui pulcherrima atque ingeniosissima Periclis vidua certe nunquam nupsisset, si infimo loco natus vilissimique fuisset ingenii. Quare errare mihi videtur C. H A. Wendt, Pericles und Kleon, ein Beitrag zu der politischen Entwickelungsgeschichte Athens. Progr. Posen 1836, pg. 23.

ἐνδεῶς γνῶναι κτλ. — Tum saepissime Cleoni cuiusque modi vitia obiiciuntur, improbitas (103, 1408), furandi (205), rixarum (258 sqq., 710), pecuniae (69, 707, 718, 1222) cupido, fraus in rebus publicis (258), permulta alia, quae, ne nimius in enumerando sim, missa faciam. — Versu 137 Cleon dicitur ἅρπαξ, κεκράκτης, Κυκλοβόρου φωνὴν ἔχων. Atque cum saepius de eius habitu, vultu, voce, dicendi modo traditum sit, colligamus singula. Aristophanes non raro de hac re loquitur. In Equitibus haec inveniuntur, v. 304: ὦ μιαρὲ καὶ βδελυρὲ κράκτα, 311: ὅστις ἡμῶν τὰς Ἀθήνας ἐκκεκώφωκας βοῶν. 626: ὁ δ' ἄρ' ἔνδον ἐλασίβροντ' ἀναρρηγνὺς ἔπη, cf. Vesp. 34 sqq.:

κἄπειτα τούτοις τοῖσι προβάτοις μούδόκει
δημηγορεῖν φάλαινα πανδοκεύτρια,
ἔχουσα φωνὴν ἐμπεπρημένης ὑός.

(cf. 596), cf. Vesp. 1030 sqq. Pac. 752 sqq. cet. Accedunt testimonia Plutarchi, Nic. 8: Κλέων τὸν ἐπὶ τοῦ βήματος κόσμον ἀνελὼν καὶ πρῶτος ἐν τῷ δημηγορεῖν ἀνακραγὼν καὶ περισπάσας τὸ ἱμάτιον καὶ τὸν μηρὸν πατάξας καὶ δρόμῳ μετὰ τοῦ λέγειν ἅμα χρησάμενος τὴν ὀλιγωρίαν τοῦ πρέποντος ἐνεποίησε τοῖς πολιτευομένοις. Tib. Gracch. 2 (vitae 2, pg. 984): καθάπερ Κλέωνα τὸν Ἀθηναῖον ἱστόρηται περισπάσαι τε τὴν περιβολὴν καὶ τὸν μηρὸν πατάξαι πρῶτον τῶν δημηγορούντων (cf. Plut. reip. ger. praec. pg. 803, cp. 7). Adde testimonium Scholiastae in Aeschinis orationem, quae dicitur κατὰ Τιμάρχου (I, 25, pg. 14. 11 ed. Dindorf), qui haec habet: λέγεται δὲ Κλέων ὁ δημαγωγὸς παραβὰς τὸ ἐξ ἔθους σχῆμα περιζωσάμενος δημηγορῆσαι. Ex quibus perbene intellegi potest, qualis fuerit Cleonis in contione habitus, qualis modus dicendi, neque est, cur Plutarchi verbis diffidamus. Idem testatur Schol. Lucian. Timon. cp. 29 (Theopomp. Frgm. 99 in Frgm. hist. Graec. ed. Mueller): . . . Ὁ δὲ Κλέων δημαγωγὸς ἦν Ἀθηναίων προστὰς αὐτῶν ἑπτὰ ἔτη, ὃς πρῶτος δημηγορῶν ἀνέκραγεν ἐπὶ βήματος καὶ ἐλοιδορήσατο κτέ., quocum consentit Schol. ad Lucian. Timon. 30 (Philoch. fr. 106): Ἐπέστη (Κλέων) καὶ τῇ πρὸς Λακεδαιμονίους εἰρήνῃ, ὡς Φιλόχορος καὶ Ἀριστο-

φάνης, προσθεὶς ἄρχοντα Εὔθυνον. Ἀριστοτέλης δὲ καὶ περιζωσάμενον αὐτὸν λέγει δημηγορῆσαι, εἰς τὴν θρασύτητα αὐτὸν ἀποσκώπτων. Locus est valde difficilis. Intellexit iam Hemsterhusius, verba non esse plana. Nam neque apud Aristophanem Euthyni archontis nomen invenitur, neque in iis Aristotelis libris, qui adhuc servati sunt, quidquam de Cleonis habitu traditur, cum duobus tantum locis (Rhet. 2, 2 et 3, 5, Bekker 2, pg. 1378 et 1407) nomine Cleonis exempli gratia utatur. Quare vir ille doctissimus ad hunc locum Scholiastae verba ita disposuit: Ὡς Φιλόχορος προσθεὶς ἄρχοντα Εὔθυνον καὶ Ἀριστοτέλης. Ἀριστοφάνης δὲ καὶ κτέ. Restat vero ea difficultas, quod non Euthynus, sed Stratocles eo anno archon fuit. Equidem non video, quo modo locus sanari possit. At certe inest testimonium de Cleonis arte dicendi. Quem quamquam in dicendo valde a Pericle distulisse constat, tamen nemo veterum negavit, fuisse virum artis dicendi valde peritum. Affero testem Ciceronem, qui in Bruto (7, 28) haec habet: Cleonem etiam temporibus illis turbulentum illum quidem civem, sed tamen eloquentem constat fuisse. Ipse Thucydides hoc testari videtur cum tota illa oratione in libro tertio (cp. 37 sqq.) scripta[25]) tum verbis illis, quibus Cleonem inducit (III, 36): Κλέων ὁ Κλεαινέτου, ὢν καὶ ἐς τὰ ἄλλα βιαιότατος τῶν πολιτῶν, τῷ τε δήμῳ παρὰ πολὺ ἐν τῷ τότε πιθανώτατος. Nam vox illa πιθανὸς hoc loco non eum indicare mihi videtur, qui populi gratia utebatur, vel eum, qui plurimum apud populum valebat, ut plerumque explicatur, sed proprie dicitur a Thucydide de Cleonis arte dicendi, comprobante Photio: πιθανώτατος· ὁ πιστικώτατος καὶ πείθων τοὺς πολλούς; cf. etiam Thuc. IV, 21: Κλέων ὁ Κλεαινέτου, ἀνὴρ δημαγωγὸς κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον ὢν καὶ τῷ πλήθει πιθανώτατος· καὶ ἔπεισεν ἀποκρίνασθαι

---

[25]) De qua oratione cf. infra. Eam magis etiam quam ceteras Thucydidis orationes ad sophistarum, maxime Gorgiae praecepta compositam et excultam esse, recte vidit Schaefer, qui in dissertatione de Cleonis illa oratione haec habet (pg. 17): Nusquam tamen, opinor, scriptor belli Peloponnesiaci magis γοργιάζει, quam in iis verbis quae Cleonem loquentem facit.

cet. (cf. Thuc. VI, 35). Cicero, cum Cleonem dicat turbulentum quidem civem, sed tamen eloquentem, Thucydidis verba in linguam latinam quasi vertisse videtur. — Multi igitur et boni testes consentiunt, Cleonem fuisse virum eloquentissimum, quamquam loquendi more non adeo suavi utebatur. Recte de hac re disputavit Grote (3, 688): Das Oeffentlichsprechen des Kleon wurde vom Aristoteles und Theopompus — at incertum esse vidimus, quis sit auctor verborum Schol. ad Lucian. Tim. — nicht als schmeichelnd, sondern als von Anmassung erfüllt characterisirt; in diesem letzteren Punkte auch wie das des älteren Cato zu Rom (Plut. Cato cp. 14). Der spöttische Ton des Cato bei seinem öffentlichen Auftreten soll auch impertinent und widrig gewesen sein (Plut. reip. ger. praec. pg. 803, cp. 7).

Pergamus in Equitibus perlustrandis. Quod v. 224 dicit poeta, Cleonem ab omni populo timeri, et a divitibus et a pauperibus, paullo post clare testatur vv. 230 sqq.:

καὶ μὴ δέδιδ'· οὐ γάρ ἐστιν ἐξῃκασμένος.
ὑπὸ τοῦ δέους γὰρ αὐτὸν οὐδεὶς ἤθελεν
τῶν σκευοποιῶν εἰκάσαι· πάντως γε μὴν
γνωσθήσεται· τὸ γὰρ θέατρον δεξιόν.

Poetam necesse erat hos versus dicere, primum ut scirent spectatores (τὸ θέατρον), quis esset histrio statim intrans, deinde ut se excusaret, quod ille sine persona apparebat. Obstabat hoc consuetudini (Poll. 4, 143: τὰ κωμικὰ πρόςωπα τῆς παλαιᾶς κωμῳδίας ὡς τὸ πολὺ τοῖς προςώποις ὧν ἐκωμῴδουν ἀπεικάζετο. Ael. v. h. 2, 13: οἱ σκευοποιοὶ ἔπλασαν αὐτὸν (Σωκράτην) ὡς ὅτι κάλλιστα ἐξεικάσαντες). Scholiasta ad Equ. v. 230 haec habet: οὐκ εἶχεν αὐτοῦ προςωπεῖον διὰ τὸ δεδοικέναι τοὺς σκευοποιοὺς καὶ μὴ θέλειν μήτε πλάττειν μήτε σχηματίζειν τὴν ὄψιν τοῦ Κλέωνος. λέγει οὖν ὅτι μηδενὸς ὑποστάντος αὐτὸν ὑποκρίνεσθαι, αὐτὸς ὁ Ἀριστοφάνης μιλτώσας ἑαυτὸν ὑπεκρίνατο, ἢ τῇ τρυγίᾳ χρίσας ἑαυτόν. Quod addit, Aristophanem ipsum Cleonis egisse personam, non mihi videtur verisimile. —

Quanta fuerit auctoritas et gratia Cleonis apud populum, etiam

ex ea re apparet, quam commemorat Theopompus[26]: Ὁ δὲ Κλέων δημαγωγὸς ἦν Ἀθηναίων προστὰς αὐτῶν ἑπτὰ ἔτη, ὃς πρῶτος δημηγορῶν ἀνέκραγεν ἐπὶ βήματος καὶ ἐλοιδορήσατο, θρασὺς ὢν οὕτως, ὥστε, καθὼς Θεόπομπος ἱστορεῖ, συνεληλυθότων Ἀθηναίων παρελθεῖν εἰς τὴν ἐκκλησίαν στέφανον ἔχοντα, καὶ κελεῦσαι αὐτοὺς ἀναβαλέσθαι τὸν σύλλογον· τυγχάνειν γὰρ αὐτὸν θύοντα, καὶ ξένους ἑστιᾶν μέλλοντα, καὶ διαλῦσαι τὴν ἐκκλησίαν. Rem narrat etiam Plutarchus in Praeceptt. pol., non addito auctore. Tanta autem audacia, ut contionem suo arbitrio solveret, Cleon certe nunquam usus esset impune, nisi summa eius fuisset gratia apud populum. — Quodsi quaerimus, propter quas res bene gestas vel ob quam virtutem tantum apud cives valuerit, imprimis res Pylicae nobis in mentem veniunt, quibus Cleon militarem gloriam nactus est. De quibus infra narrabitur. Athenienses ut virum de re publica optime meritum honoribus singularibus honorarent, decreverunt, ut publice in Prytaneo aleretur, quod ex permultis Aristophanis locis apparet (cf. Equ. 280 sqq., 709, 766: ὥσπερ νυνὶ μηδὲν δράσας δειπνεῖν ἐν τῷ πρυτανείῳ, 1404 sq.). Eidem honor tributus est in primis theatri subselliis sedendi (cf. Equ. 702: ἀπολῶ σε νὴ τὴν προεδρίαν τὴν ἐκ Πύλου), eumque corona civica donatum esse elucet ex Equ. v. 1227: κατάθου ταχέως τὸν στέφανον. — Quae Cleonis vere de republica merita ut minuat et in ridiculum vertat, Aristophanes ipsum eum gloriantem facit iterum atque iterum, cf. Equ. 355, 391 sqq., ubi non Cleonis, sed Demosthenis virtute bellica Pylum captam esse, Cleonem tantum gloriam sibi usurpare poeta affirmat, 742 sqq., 1005, 1058 sqq., 1167, 1172, 1201; quin etiam v. 765 Cleonis merita cum meritis duorum scortorum tum famosorum aequantur.

Restant pauca in Equitum fabula memoratu digna. Versibus 316 sqq. Cleon agricolis male depsta coria pro bonis per fraudem vendidisse arguitur. Ne puerili quidem accusatione se abstinet

---

26) Frgm. 99 apud Mueller Fr. hist. Graec., Schol. Luc. Tim. cp. 29, tom. 1, pg. 143 Reitz.

poeta, dummodo risum moveat spectatorum. Certe nemo putabit, ipsum poetam talia pro veris habuisse. Non minus falsam criminationem esse existimo, quod (v. 464) Cleon in Peloponneso fuisse dicitur, non ut Argivos Atheniensibus conciliaret, sed ut de pretio captivorum redimendorum cum Lacedaemoniis ageret. Eodem modo vv. 987 sqq. fingitur fabula quaedam de prima pueritia Cleonis, ut eum a puero venalem fuisse demonstretur.

Sed haec hactenus. Atque ut alia permulta, quae apud Aristophanem de Cleone inveniuntur, hoc loco singillatim enumerare omittam, quantum fuerit odium poetae in demagogum illum, evidentissime apparet ex descriptione viri, quae invenitur in Vespis inde a versu 1030. Prope iidem versus insunt in Pace (752 sqq.), atque ibi eos ex priore actione Pacis desumtos esse, quae paullo post Vespas fiebat, apparere mihi videtur.[27]) Dicit poeta (Vesp. 1030 sqq.):

ἀλλ' Ἡρακλέους ὀργήν τιν' ἔχων τοῖσι μεγίστοις ἐπεχείρει,
θρασέως ξυστὰς εὐθὺς ἀπ' ἀρχῆς αὐτῷ τῷ καρχαρόδοντι,
οὗ δεινόταται μὲν ἀπ' ὀφθαλμῶν Κύννης ἀκτῖνες ἔλαμπον,
ἑκατὸν δὲ κύκλῳ κεφαλαὶ κολάκων οἰμωξομένων ἐλιχμῶντο
περὶ τὴν κεφαλήν, φωνὴν δ' εἶχεν χαράδρας ὄλεθρον τετοκυίας,
φώκης δ' ὀσμήν, λαμίας ὄρχεις ἀπλύτους, πρωκτὸν δὲ καμήλου.

Vilissime igitur Cleon depingitur, neque quemquam huic descriptioni fidem habiturum esse perspicuum est. Sed recte nihilo minus fecit poeta comicus, namque certe nulla re magis spectantium risum et applausum movere potuit. Versibus insequentibus eodem modo in Socratem sophistasque invehitur, quos iam in Nubibus perstrinxerat. Totam illam imaginem quamvis divina quadam poetae comici licentia commentam, tamen nullo modo nobis verum Cleonem ante oculos ponere nemo non credet. Neque vero quia optimum quemque civem gravissimis exagitabat notis, Aristophani morum improbitatem obiicere debemus. Quod nostri

---

27) Omitto hoc loco uberius disserere de difficillima illa quaestione, de qua conferenda est Droyseni praef. ad Pac. pg. 354 sq,, num poeta duas Paces scripserit atque quo tempore actae sint.

temporis viri docti saepissime fecerunt. Valde aliter senserunt veteres ipsi. Socrates comoediarum publicatos in se et spectatos sales in bonam partem accepit risitque, ut tradit Aelianus (v. h. 2, 18, cf. Senec. de const. sap. cp. 18, Diogen. Laert. 2, 36). Cavillationes enim Aristophanis nullo modo aegre tulit amicoque dixisse fertur, idem esse ac si in magno convivio carperetur (cf. Plut. vel Pseudoplut. de educ. lib. § 14). Testis est inprimis ipse Plato, qui, quamquam poeta praeceptorem eius carissimum, Socratem, turpissimo quoque modo perstrinxerat, tamen adeo poetam admirabatur, ut eius comoediae auctore Olympiodoro iuxta lectum mortui philosophi invenirentur. Et si quis fictum hoc atque commentum esse putat, meminerit epigrammatis illius a Platone inventi:

Αἱ χάριτες τέμενός τι λαβεῖν, ὅπερ οὐχὶ πεσεῖται
ζητοῦσαι ψυχὴν εὗρον Ἀριστοφάνους.

Vidimus, quo modo poeta in vivum Cleonem consuluerit. Sed ne mortuo quidem pepercit. Quamquam enim Nubb. vv. 549:

ὃς μέγιστον ὄντα Κλέων᾽ ἔπαισ᾽ ἐς τὴν γαστέρα,
κοὐκ ἐτόλμησ᾽ αὖθις ἐπεμπηδῆσ᾽ αὐτῷ κειμένῳ.

ipse de se praedicat, se a victo adversario semper se abstinere, tamen adeo sibi non constitit, ut etiam mortuum acerbe obiurgaret. Tota enim Pacis comoedia, quae docta est magnis Dionysiis anni 421, octo menses post mortem demagogi[28]), in Cleone denotando versatur, quod cum rectissime intellexit Scholiasta (cf. Mein. ed. Ar. I, 282, l. 29 sqq.: οὐ τοῦτο δὲ μόνον ὑπὲρ εἰρήνης Ἀριστοφάνης τὸ δρᾶμα τέθεικεν, ἀλλὰ καὶ τοὺς Ἀχαρνεῖς καὶ τοὺς Ἱππέας καὶ Ὁλκάδας, καὶ πανταχοῦ τοῦτο ἐσπούδακεν, τὸν δὲ Κλέωνα κωμῳδῶν τὸν ἀντιλέγοντα καὶ Λάμαχον τὸν φιλοπόλεμον ἀεὶ διαβάλλων.), tum ipse poeta testari videtur, cum scarabaeum illum (κανθαρόν) Cleonem repraesentare dicat vv. 47 sq.:

δοκέω μέν, ἐς Κλέωνα τοῦτ᾽ αἰνίσσεται,
ὡς κεῖνος ἀναιδέως τὴν σπατίλην ἐσθίει.

[28]) cf. Droysen 1, 349, Schol. Venet. ad Ar. Pac. v. 48. De scholiis cf. Otto Schneider, de Aristophanis Scholiis 1838.

Qui versus, sicut illa Cleonis descriptio vv. 752 sqq. ex Vespis (1030 sqq.) repetita (cf. supra, fortasse etiam vv. 217 sqq., qui in Cleonem spectare videntur,) iam adhuc vivo demagogo composita videntur esse, cum praesentis forma ἐσθίει poeta utatur. Contra vv. 268 sqq.:

τὸ δεῖνα γὰρ
ἀπόλωλ' Ἀθηναίοισιν ἀλετρίβανος,
ὁ βυρσοπώλης, ὃς ἐκύκα τὴν Ἑλλάδα,

itemque vv. 313 sqq.:

εὐλαβεῖσθέ νυν ἐκεῖνον τὸν κάτωθεν κέρβερον,
μὴ παφλάζων καὶ κεκραγὼς ὥςπερ ἡνίκ' ἐνθάδ' ἦν,
ἐμποδὼν ἡμῖν γένηται τὴν θεὸν μὴ 'ξελκύσαι,

atque v. 647:

ταῦτα δ' ἦν ὁ δρῶν βυρσοπώλης

et vv. 651 sqq.:

ἅττ' ἂν οὖν λέγῃς ἐκεῖνον,
κεἰ πανοῦργος ἦν, ὅτ' ἔζη,
καὶ λάλος καὶ συκοφάντης
καὶ κύκηθρον καὶ τάρακτρον,
ταῦθ' ἁπαξάπαντα νυνὶ
τοὺς σεαυτοῦ λοιδορεῖς.

nec non v. 669: ὁ νοῦς γὰρ ἡμῶν ἦν τότ' ἐν τοῖς σκύτεσιν, Cleone mortuo scriptos esse apparet. Quare si verum est, quod defendit Droysen (I, 355), Pacem bis actam esse, magnis Dionysiis annorum 422 et 421, certe illi loci priori, hi secundae actioni tribuendae sunt, cum satis constet, Cleonem sub tempus auctumnale anni 422 obiisse. (De tempore obitus Cleonis infra uberius disputabitur.) Atque videmus, eundem esse poetae animum in mortuum atque in vivum Cleonem, eumque per omne vitae tempus odium suum in demagogum non omisisse docent duo alii loci ex Ranis desumti, quibus Cleonem in Tartaro depingit. Dico versus 570 sqq.:

ἴθι δὴ κάλεσον τὸν προστάτην Κλέωνά μοι,
ἵν' αὐτὸν ἐπιτρίψωμεν, —,

ubi verba ἵν' αὐτὸν ἐπιτρίψωμεν trahenda sunt ad Cleonem, si versum illum:

σὺ δ' ἔμοιγ' ἐάνπερ ἐπιτύχῃς Ὑπέρβολον

spurium declaramus cum Meinekio praeeunte Hamakero; atque vv. 577 sq.:

ἀλλ' εἶμ' ἐπὶ τὸν Κλέων', ὃς αὐτοῦ τήμερον
ἐκπηνιεῖται ταῦτα προςκαλούμενος.[29]

Sed satis multa de hac re attulisse mihi videor. Omitto alia permulta, quae in Aristophanis comoediis insunt de Cleone, quibus novi nihil afferatur. Atque cum in universum omnes poetae comoedias perlustraverimus, vidimus, multa in iis inesse vera, plura etiam, quibus fides nulla haberi possit. Atque qualis fuerit Aristophanis de Cleone sententia, plane intellegitur ex iis locis, quos attulimus. Nec viro nec mortuo pepercit. Depingit eum ut virum omnibus flagitiis deditum, qui calliditate ac morum perversitate plurimum apud cives valuerit, qui vociferatione et clamore usus neminem non aggressus sit falsis et turpibus criminationibus, cui omnia venalia fuerint, denique qui quasi pestis fuerit totius civitatis.

Quibus expositis de Cleone Aristophanico perveniamus iam ad alteram dissertationis partem et videamus, qualis sit Cleon Thucydidius vel aliorum, qui de eius vita et moribus tradiderunt, ut comparatione facta verum Cleonem cognoscamus. Atque apud Thucydidem raro tantum Cleonis nomen affertur. Primum inducitur (III, 36 sqq.) oratione quadam contra Mytilenaeos habita. Namque Mytilenaei, qui iam ante bellum Peloponnesiacum bellum paraverant (Thuc. III, 2), anni 428 aestate tandem ab Atheniensibus defecerant, sed iam post novem menses a Pache duce obsessi ad tantam desperationem pervenerant, ut facile ad deditionem

---

29) Ad Ran. vv. 576—576 cf. Plut. reip. ger. praec. pg. 806 sqq. atque Grote 3, 689: Diese Stelle zeigt uns, dass Kleon und Hyperbolos (quem delendum esse supra vidimus) in Anklagen verwickelt wurden, zum Theil weil sie armen Leuten, die beeinträchtigt worden waren, Beistand leisteten, um Gerechtigkeit vor den Dicasterien zu erlangen.

adducerentur. Atque Athenienses cum defectoribus illis maxime infesti essent (Thuc. 3, 36), exacerbati quoque per Cleonem, primum omnes viros Mytilenaeorum occidere, feminas puerosque in servitutem redigere statuerunt. Postridie autem cum Athenienses nimis dirae sententiae poeniteret, iterum contione habita in utramque partem orationes habitae sunt, altera a Cleone contra Mytilenaeos, altera a Diodoto, filio Eucratis demagogi (Thuc. 3, 42), cui infestissimus fuit Cleon, quae mitior vicit Mytilenaeosque ab exitio servavit. In hac re Thucydides Cleonem uberius dicentem facit inducitque eum his verbis: Κλέων ὁ Κλεαινέτου, ὢν καὶ ἐς τὰ ἄλλα βιαιότατος τῶν πολιτῶν, τῷ τε δήμῳ παρὰ πολὺ ἐν τῷ τότε πιθανώτατος. Quod dicitur βιαιότατος, referendum est illud verbum minus ad Cleonis mores quam ad eius reipublicae gerendae rationem, in qua quantum sibi constiterit docent et verba καὶ ἐς τὰ ἄλλα et oratio[30]), quae sequitur, ex qua certe magis quam ex ulla alia re Cleonis ingenium et mores cognosci possunt. Nam quamquam scriptor non ad verbum quidem omnia, quae Cleon dixerat, repetere potuit, tamen „orationem illam non esse fictam statuendum est, sed ita ex audientium memoria recuperatam, ut non solum sententiae, sed saepe etiam ipsa restituta sint verba“.[31]) In quaestione enim illa, qua ratione ductus et qua arte usus Thu-

---

30) Ex magno numero eorum, qui de hac oratione scripserunt, affero: Chr. Garve, Uebersetzung u. Erklärung der Rede Kleons, vermischte Aufsätze Bd. I. Breslau 1796. S. 447—515; Droysen, Einleitung zu den Rittern, I, 82; A. Schäfer, de Cleonis oratione quae est in libro III Thucydidis, Göttingen 1867; C. H. A. Wendt, Pericles u. Kleon cet., Posen 1836, pg. 24 sqq.; Voswinkel, de Cleone demagogo, Bonnae 1847; Fr. Kortüm, der Demagog Kleon, in Bremi und Döderlein, philol. Beiträge aus der Schweiz, Bd. 1, 34—62, Zürich 1819, cf. eiusdem geschichtl. Forschungen, Leipzig 1863 et zur Geschichte hellenischer Staatsverfassungen. Heidelberg 1821. 176—186; Rötscher, Arist. u. sein Zeitalter, Berlin 1827; Waehdel, de Cleonis apud Aristophanem persona, Göttingen 1858: Manso, Programm über die Athenienschen Demagogen, Breslau 1794; Heeren, über Mitylene und Lyon, in Chr. Girtanner, Politische Annalen, Bd. V, S. 330 sqq. Praeterea multi alii hanc rem tetigerunt, quorum partim mentio supra facta est vel infra fiet.

31) cf. Haase, lucubrationum Thucydidiarum mantissa, Vratislaviae 1857, pg. 19; Schaefer pg. 30.

cydides orationes composuerit, dudum explosa est sententia eorum, qui has orationes mera esse scriptoris commenta existimarunt. Immo quid sibi in hac re proposuerit, ipse scriptor tradidit, cum dicat (I, 22): ὡς δ' ἂν ἐδόκουν ἐμοὶ ἕκαστοι περὶ τῶν αἰεὶ παρόντων τὰ δέοντα μάλιστ' εἰπεῖν, ἐχομένῳ ὅτι ἐγγύτατα τῆς ξυμπάσης γνώμης τῶν ἀληθῶς λεχθέντων, οὕτως εἴρηται. Scripsit igitur orationes non eas quidem sicut vere habitae sunt, sed „quarum argumenta in universum concinant cum argumentis (ξύμπασα γνώμη) orationum vere habitarum, quorum verba plus minusve sint Thucydidea“.[32]) Quae cum ita sint, etiam in hac Cleonis oratione „hunc crediderim modum a Thucydide servatum esse, ut ea omitteret, quae ad effingendam Cleonis imaginem essent supervacanea, adderet autem nihil, quo esset suum potius quam illius ingenium proditurus“ (cf. Haase, pg. 19). Atque haec fere exhibet Cleon. Mytilenaei, inquit, magis quam qui a Lacedaemoniis coacti defecerunt, nobis sunt adversarii, quia sua sponte neque ullo modo coacti defecerunt. Quare ut exemplum statuatur, defectores morte multetis neve nimia usi clementia ceteris sociis facilitetis defectionem, si quam conantur, cum non ignorent, etiamsi non bene processerit defectio, haud adeo magnam se subituros esse poenam. Tria enim ante omnia reipublicae evitanda esse existimat, primum ne nimia misericordia cives ducantur, tum ne assentatoribus in contione nimis patefaciant aures, inprimis ne inter varia consilia fluctuent neve mollioribus quam par sit rationibus utantur.[33]) Cleon enim satis clare perspexerat, quale esset imperium Atheniensium, quod apparet ex eius verbis (cp. 37 init.): οὐ σκοποῦντες ὅτι τυραννίδα ἔχετε τὴν ἀρχὴν καὶ πρὸς ἐπιβουλεύοντας αὐτοὺς καὶ ἄκοντας ἀρχομένους. Neque minus clare intellexit, non benevolentia socios contineri posse sed sola vi, cum pergeret: οἳ οὐκ

---

[32]) Schaefer pg. 26, cf. Classen ed. Thuc. pg. LXVIII.

[33]) cf. Droysen, I, 82: Auch sein ernstlicher Tadel darüber, dass eine abgeschlossene Sache von neuem in Frage gestellt worden, ist politisch durchaus richtig, und in Zeiten, wie die des heftigen Krieges, wäre selbst ein Fehler minder gefährlich gewesen, als Unentschlossenheit und halbe Massregeln.

ἐξ ὧν ἂν χαρίζησθε βλαπτόμενοι αὐτοὶ ἀκροῶνται ὑμῶν, ἀλλ' ἐξ ὧν ἂν ἰσχύι μᾶλλον ἢ τῇ ἐκείνων εὐνοίᾳ περιγένησθε.[34]) Quare et Mytilenaeos necari voluit et postea anno 423 auctor fuit Scionaeorum necandorum (cf. Thucyd. 4, 122, Arist. Vesp. 210 et Schol.). In administranda tali modo republica Periclis vestigia premebat, qui et ipse non nimia clementia, sed vi opus esse in socios persuasum sibi habebat. Quam rationem non falsam esse ipse adversarius Diodotus concedit (cp. 44 init.), cum iure in Mytilenaeos consultum esse nullo modo neget, tantum (§ 4) contra εὐπρεπὲς τοῦ ἐκείνου λόγου opponat τὸ χρήσιμον τοῦ ἐμοῦ, quod εὐπρεπές esse τὸ δικαιότερον εἶναι αὐτοῦ τὸν λόγον docent proxima (cf. Poppo h. l.). „Quamquam enim, inquit[35]), in omnibus civitatibus permulta crimina morte multantur, tamen saepissime homines novarum rerum cupidi exagitati spe prosperi eventus non dubitant vel maxima pericula subire. Quod testantur ii qui nunc defectionem periclitati sunt. Neque vero nobis par est omnem iis spem levioris poenae adimere. Nulla enim spe salutis relicta ad desperationem perducti ultima audebunt atque ne in certam mortem irruant, usque ad internecionem pugnantes urbem deletam agrosque vastatos nobis victoribus relinquent neque tributa solvere poterunt, quibus nostra potestas quam maxime nititur (ἰσχύομεν δὲ πρὸς τοὺς πολεμίους τῷδε [scil. ταῖς προσόδοις[36])]).“ Videmus, Diodotum quamvis Cleonis sententiae contrarium tamen iniuria in Mytilenaeos agi nullo modo dicere, tantum mitiorem rationem civibus profuturam esse eum censere. Atque ex ipso suffragio, quod de hac re latum est (cp. 49 init.), clarum fit, utramque sententiam paene idem valuisse apud cives et Cleonem minime tantae apud plebem fuisse auctoritatis, ut semper eius opinio vinceret[37]). Tamen Cleone auctore plus mille Mytilenaei necati

[34]) cf. Droysen I, 82.

[35]) cp. 45 sq., cf. Schaefer pg. 24.

[36]) cf. Thuc. II, 13, ubi Pericles cives iubet, τὰ τῶν ξυμμάχων διὰ χειρὸς ἔχειν, λέγων τὴν ἰσχὺν αὐτοῖς ἀπὸ τούτων εἶναι χρημάτων τῆς προσόδου, κ. τ. λ.

[37]) cf. Droysen I, 82: Jedenfalls lehrt die angeführte Rede Kleons, dass derselbe keineswegs Volksschmeichler in dem Sinne war, wie man in der Regel meint

sunt (cp. 50). Thucydides, ut solet, quid ipse de hac re iudicaverit, non affert, nisi quis verbis illis (cp. 49, 4) πρᾶγμα ἀλλόκοτον crudelem Cleonis sententiam vituperari putet. Poppo haec verba ita vertit: ad negotium horribile s. monstruosum; fortasse nimis acriter. Recte dicit, vocabulum proprie significare naturae contrarium, hic videri valere inauditum. Neque vero necesse mihi videtur credere, his verbis Thucydidem Cleonis persequi voluisse crudelitatem vel atrocitatem. Contra res erat eiusmodi, quae adhuc nova et inaudita esset. Eundem sensum vox illa ἀλλόκοτος apud Aristophanem habet (cf. Vesp. 47 et 71).

Veniamus iam ad res Pylicas, quibus Cleon etiam laudem bellicam assecutus est. Cum enim Athenienses Demosthene duce casu naves appulissent ad desertam oram Messeniae, Pylum urbem occupaverunt atque operibus muniverunt. Quod cum Lacedaemonii sero cognovissent periculum, Athenienses terra marique incluserunt atque Sphacteriam insulam Pylo adversam et contrariam praesidio 420 militum gravis armaturae, qui nobilissimi erant civium, occupaverunt. Athenienses confestim quadraginta triremes Demostheni auxilio miserunt, quae victa Lacedaemoniorum classe milites illos in insula Sphacteria collocatos ab omni communicatione cum suis intercluserunt. Quibus cum fame vexatis nulla spes esset, fore ut liberarentur, sexaginta naves, quae aderant, Demostheni tradiderunt, ut alimenta in insulam quotidie transportari permitteret, legatosque Athenas miserunt. Neque vero Athenienses faciles erant ad pacem faciendam, maxime suadente Cleone. Hoc loco Thucydides de Cleone haec habet (4, 21): μάλιστα δὲ αὐτοὺς ἐνῆγε Κλέων ὁ Κλεαινέτου, ἀνὴρ δημαγωγὸς κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον ὢν καὶ τῷ πλήθει πιθανώτατος. Verba illa ἀνὴρ δημαγωγός et in bonam (cf. Schol. Pac. 680) et

---

und wie uns Aristophanes möchte glauben machen; et I, 83: Dass solche Grausamkeit dem Geiste des Alterthums minder fern lag, lehren theils ähnliche Vorfälle, theils der Umstand, dass selbst bei der zweiten Abstimmung die Stimmen für und wider fast gleich standen. Quod dicit ähnliche Vorfälle, cogitandum est de Meliorum deditione, in qua omnes viros ab Atheniensibus occisos esse tradit Thucydides V, 116.

in malam partem accipi docet Bloomfield[38]). Ante Aristophanem verbum δημαγωγός non in usu fuisse videtur atque iam ab initio ita adhibitum esse, ut aliquid in eo nomine lateret reprehensionis, cf. Arist. de rep. 1, 4, 4, ubi demagogorum artes vituperat. Iam Pericles demagogus vocatur (Thuc. 2, 60, Plut. Per. 15), atque saepissime verbum invenitur apud Aristophanem (ἡ δημαγωγία Equ. 191, τὰ δημαγωγικά Equ. 217, ubi poeta affert, quid sit necesse demagogo, cum dicat: φωνὴ μιαρά, γέγονας κακῶς, ἀγοραῖος εἶ cet.).[39])

Suadente igitur demagogo illo legatis condiciones pacis tam acerbae propositae sunt, quas accipere nullo modo possent. Atque cum rogarent, ut pauci viri deligerentur, quibuscum de pace ageretur, maxime Cleon obstitit, ne hoc fieret. Coram populo rem agendam esse, non cum paucis, quibus facile persuaderi posset (εἴ τι ὑγιὲς διανοοῦνται, λέγειν ἐκέλευσεν ἅπασιν, Thuc. 4, 22). Quare infecta re legati dimissi sunt. Neque vero res apud Pylum tam prospere processerunt quam Athenienses speraverant, cum Helotes libertatis pretio commoti clam alimenta in insulam supportarent. Quare cum multum temporis magnaque pecunia in hac re consumeretur, mox cives poenituit, pacem non fecisse, magnamque in Cleonem invidiam contulerunt. Quod cum ille animadvertisset, primum negavit vera de rebus Pylicis relata esse a legatis. Sed cum ipse legatus eligeretur, qui Pylum mitteretur, mutato consilio Athenienses hortatus est, ne legatis mittendis tempus tererent, immo, si vera nuntiata esse putarent, statim in hostes proficiscerentur. Atque in Niciam inimicum (ἐχθρὸς ὢν καὶ ἐπιτιμῶν 4, 27 fin.) invectus addidit, rem esse facillimam, si

---

38) cf. quos laudat Hermann Antiqu. Gr. § 69, adn. 2.

39) Neque vero equidem secundum ea, quae supra disserui de Cleonis in republica admininistranda ratione, tantum interesse putaverim inter illum et Periclem, quantum plurimi putarunt, qui Cleone plane despecto Periclem ad coelum tulerunt, sicut Bormann in dissertatione, quibus potissimum rebus factum sit, ut Pericle mortuo Athenis omnia nutu et arbitrio demagogorum gubernarentur, Progr. Halberstadt 1841, pg. 11: Quod si igitur comparatio fiat inter Periclem et Cleonem, Pericles demagogorum optimus fuit, pessimus Cleo cet. (cf. etiam pg. 13).

viri essent duces, capere illos in insula milites, seque ipsum, si dux esset, hoc facturum esse. Atque hoc loco (4, 28) Thucydides merito Cleonis magniloquentiam (κουφολογίαν) vituperat. Neque vero ex eius verbis aliud quid colligi potest quam cum omnes nobiles, tum ipsum Thucydidem Cleonis fuisse adversarium in rebus politicis. Certe Cleon in contione populi nimis progressus erat in magniloquentia, sed hoc ei ignoscamus ut viro populari et Atheniensi, qui initio certe nullo modo fieri posse putabat, ut ipse dux esse cogeretur. Quod virum belli imperitum rebus praefecerunt, potius populo Atheniensi vitio vertamus, quam Cleoni, qui tandem coactus imperium accepit. Atque postremo res ei optime processit, nam spe celerius id quod promiserat exsecutus est. Intra viginti enim dies Lacedaemonios illos captivos Athenas duxit (Thuc. 4, 39). — Certe in hac re nihil inhonesti fecit, atque cavendum est, ne quod omnino in rebus politicis peccavit, moribus eius tribuamus. Thucydides ipse, quamquam (cp 39 fin.) promissum Cleonis insanum (μανιώδης) non immerito nominat, tamen cum dicat, risum quendam surrepsisse Atheniensibus propter hominis insulsi vanitatem (4, 28 fin.: τοῖς δὲ Ἀθηναίοις ἐνέπεσε μέν τι καὶ γέλωτος τῇ κουφολογίᾳ αὐτοῦ), multo cautius totam rem tradit quam Plutarchus, qui rem in maius augens haec habet: τοῖς δὲ Ἀθηναίοις ἐπῆλθε γελάσαι μέγα.

Clade illa in Sphacteria insula accepta Lacedaemoniorum res valde afflictae sunt. Namque ex viginti et quadringentis, qui profecti erant, armatis ducenti nonaginta duo in Atheniensium potestatem venerant, in quibus erant centum et viginti Spartiatae summo loco nati (Thuc. 4, 38; 5, 15). Nec multum aberat, quin Lacedaemonii iam omnino de salute sua desperarent, cum pacem ab Atheniensibus impetrare non possent, nisi exstitisset vir, qui rem labefactatam novis rebus gestis restitueret, dico Brasidam ducem, qui plurimis Thraciae urbibus ad defectionem coactis tandem anno 423 indutias cum Atheniensibus annuas fecit. Sed cum brevi post Sciona atque Menda urbes descivissent et Brasidas eas reddere nollet, bellum denuo exarsit, atque Cleone auctore

decretum est, ut Scionaei et Mendaei occiderentur (Thuc. 4, 122). Cui cum in obsidenda Sciona nimium tempus consumi videretur, populo persuasit, ut Niciam ducem revocarent. Atque quanta fuerit Cleonis apud Athenienses auctoritas, eumque etiam in rebus bellicis non adeo fuisse despicatum, quantum Thucydide auctore a plurimis existimatur, clarissime ex ea re apparet, quod cives male contenti Niciae, scilicet pacis amicissimi, in bello gerendo cunctatione Cleonem in eius locum suffecerunt. Quod certe numquam fecissent, si eius imperitia belli gerendi notissima fuisset, cum quanti Athenienses Thracias illas possessiones fecerint, notum sit. Electus igitur est Cleon dux expeditionis in Thraciam faciendae ineunte vere anni 422 cum 1200 delectis militum gravis armaturae, 200 equitibus. Atque initio quidem rem bene gessit, cum Toronam urbem in potestatem Atheniensium redigeret multosque captivos Athenas mitteret. Tum ad Amphipolim castra movit, quam urbem Brasidas tenebat. Ubi cum Thraces exspectans mercenarios contra consuetudinem primum quiesceret, tandem a militibus coactus egressus est (cp. 6 et 7, cf. cp. 10: οὐ βουλόμενος μάχῃ διαγωνίσασθαι πρίν οἱ καὶ τοὺς βοηθοὺς ἥκειν). Hoc loco (cp. 7 init.) Thucydides milites illos, quos omnino invitos Cleonem secutos esse ipse dicit (cp. 7: οἴκοθεν ὡς ἄκοντες αὐτῷ ξυνῆλθον), cum gaudio quodam ipsius, ut videtur, de Cleonis imperio iudicantes facit (ἀναλογιζομένων δὴ τὴν ἐκείνου ἡγεμονίαν πρὸς οἵαν ἐμπειρίαν καὶ τόλμαν, μετὰ οἵας ἀνεπιστημοσύνης καὶ μαλακίας γενήσοιτο). Sed certe rectissime Cleon iam initio totius certaminis sibi proposuerat, socios exspectare atque tum demum, cum satis magno numero posset, pugnam committere. Quod propositum non iam peragere potuit, cum Brasidas, dux peritissimus belli gerendi, eum confestim aggrederetur. In qua pugna ambo duces occisi sunt, vicerunt Lacedaemonii. De morte Cleonis Thucydides (5, 10) haec habet: (τὸ μὲν εὐώνυμον κέρας αὐτῶν [scil. Ἀθηναίων] . . . εὐθὺς . . . ἔφυγε. καὶ ὁ Βρασίδας . . . τιτρώσκεται . . . οἱ δὲ πλησίον ἄραντες ἀπήνεγκαν.) τὸ δὲ δεξιὸν τῶν Ἀθηναίων ἔμενε μᾶλλον· καὶ ὁ μὲν Κλέων, ὡς τὸ πρῶτον οὐ

διενοεῖτο μένειν, εὐθὺς φεύγων καὶ καταληφθεὶς ὑπὸ Μυρκινίου πελταστοῦ ἀποθνήσκει, οἱ δὲ αὐτοῦ ξυστραφέντες ὁπλῖται ἐπὶ τὸν λόφον τόν τε Κλεαρίδαν ἠμύνοντο κτέ. Fugam igitur petivisse Cleonem ait Thucydides, verbo quidem inhonesto φεύγων usus, sed ipse eius vim minuens, cum addat: ὡς τὸ πρῶτον οὐ διενοεῖτο μένειν. Neque vero, quod fere omnes putaverunt, Cleon ignave solus fugae se dedit, sed cum parte militum in tumulum quendam se recipere conabatur, quo in receptu cum ab hostibus peteretur, casu quodam cecidit. Quod cum per se verisimile sit, etiam apparere mihi videtur ex ipsis Thucydidis verbis, cum dicat: οἱ δὲ αὐτοῦ ξυστραφέντες ὁπλῖται ἐπὶ τὸν λόφον, nam hoc loco ξυστραφέντες indicat simul cum eo se vertentes, quamquam concedendum est, verbum plerumque confecto agmine ingredientes indicare. Accedit, quod additur, quo se verterint, in tumulum. Primus in hac re haesit Scholiasta. Haec habet (cf. Poppo): εὐθὺς φεύγων: „Ἀπορεῖται, εἰ μόνος ἔφευγε"; ΔΟΥΚΑΣ. Ita sane videtur Popponi propter proxima, conferri iubet Bloomfieldium, falsissime igitur Diodorum tradere. Minime vero. Rectissime Diodorus (12, 75) non habet, quod Cleonem propter ignaviam in hac pugna reprehendat. Immo collaudat et Brasidae et Cleonis virtutem: τὸ μὲν πρῶτον ἰσόῤῥοπος ἦν ἡ μάχη, μετὰ δὲ ταῦτα παρ' ἑκατέροις τῶν ἡγεμόνων φιλοτιμουμένων δι' ἑαυτῶν κρῖναι τὴν μάχην, συνέβη κ. τ. λ. et infra: ὁ μὲν Βρασίδας ἀριστεύσας καὶ πλείστους ἀνελὼν ἡρωικῶς κατέστρεψε τὸν βίον, ὁμοίως δὲ καὶ τοῦ Κλέωνος ἐν τῇ μάχῃ πεσόντος. Atque Thucydidem ipsum vidimus non ignaviam Cleoni in receptu obiicere, sed tantum arrogantiam eius vituperat in suscipienda expeditione. — De morte Cleonis et Brasidae aliter scribit Scholiasta ad Ar. Pac. 283 (Ἐν Ἀμφιπόλει γὰρ τῆς Θρᾴκης μονομαχήσαντες ὅτε Κλέων καὶ ὁ Βρασίδας ἀλλήλους ἀνεῖλον.), sed illum Scholiastam et alibi multam ignorantiam prodere iam vidit Palmerius. Ortus est error ex falsa interpretatione Aristophanis verborum χρήσαντες ἑτέροις.

Restat unus locus Thucydidis, ubi de Cleone iudicium affert. Atque libr. V, cp. 16 haec scribit: Κλέων μάλιστα ἠναντιοῦτο

τῇ εἰρήνῃ . . . γενομένης ἡσυχίας καταφανέστερος νομίζων ἂν εἶναι κακουργῶν καὶ ἀπιστότερος διαβάλλων. Hoc loco scriptor, quem demagogo non amicum esse elucet, causam affert, qua commotus ille paci semper obstiterit, certe falsam, cum satis constet, Cleonem semper idem consilium in rebus politicis, dico bellum usque ad internecionem alterutrius civitatis, adversarium id quidem Thucydidi, secutum esse.[40])

Quibus expositis quae fuerit summi historiae scriptoris de Cleone opinio satis clarum est. Non solum ex tota eius rerum gestarum narratione, sed etiam ex singulis verbis elucet, Cleonis et in republica gerenda et in vita privata rationes consiliaque nullo modo scriptori probata fuisse, immo eum demagogi fuisse inimicum. Neque vero usquam a Thucydide Cleoni aliquid turpe vel inhonestum obiicitur, sed moderate tantum eum vituperat, quod eo magis commemorandum est, cum alibi scriptor in demagogis perstringendis nullo modo dubitaverit, conviciis non ita levibus uti, velut in Hyperbolum, quem dicit (8, 73) μοχθηρὸν ἄνθρωπον ὠστρακισμένον οὐ διὰ δυνάμεως καὶ ἀξιώματος φόβον, ἀλλὰ διὰ πονηρίαν καὶ αἰσχύνην τῆς πόλεως.

Quodsi quaerimus, quibus de causis odium atque inimicitia inter Cleonem et Thucydidem fuerint, tres causas afferre possumus. Quarum prima posita est in magna et morum et opinionum diversitate, quae inter ambos viros intercedebat. Et in rebus bellicis adversarios eos fuisse supra satis ostendimus.[41]) — Altera causa est, quia Cleone auctore scriptor per viginti annos Athenis expulsus erat. Quo de exilio quamquam ipse scriptor nihil aliud affert quam solam rem ipsam (V, 26: ξυνέβη μοι φεύγειν τὴν ἐμαυτοῦ ἔτη εἴκοσι μετὰ τὴν ἐς Ἀμφίπολιν στρατηγίαν, Ol. 89, 1,

---

40) cf. Schäfer de Cleonis oratione pg. 28: Illud vero Thucydidis — idem quod Grotio dubium est — Cleonem pacem dissuasisse, ut amplius calumniari posset, nimium mihi videtur. Neque enim patet, cur belli tempore melius calumniari potuerit, quam pacis. Ita infitiari non possumus, Thucydidem simultatem quandam in Cleonem prae se ferre, quae ut iudicii integritati obstaret, fieri potuit.

41) cf. Dr. Brock, zur Beurtheilung Kleons des Atheniensers, Celler Programm 1859, S. 22.

initio anni 423 a. Chr. n.) et quamquam Ammianus Marcellinus, qui in vita Thucydidis Cleonem auctorem affert, ipsius scriptoris verba tantum interpretatus et commentatus esse videtur, tamen per se valde probabile est, Cleonis, viri tum maxime popularis atque plebi acceptissimi, auctoritate permotos Athenienses scriptorem in exilium egisse. Neque vero in hac re iniuste fecit Cleon. Qua de re longius exponendi cum hic non locus sit, satis habeo eius, qui dilucide de hac re disputavit et quamquam dissentiunt Curtius, Krüger, Classen, multi alii viri doctissimi, tamen mihi plane persuasit, iudicium apponere. Atque Grote (III, 639) rem his verbis finit: Meinem Urtheile nach war nicht allein die Anklage gegen diese beiden Offiziere (ich nehme an, dass Eukles mit eingeschlossen war) auf die rechtlichsten praesumptiven Gründe hervorgerufen — was eine Rechtfertigung für den Lederhändler Kleon sein würde — sondern es war auch der gegen sie gethane positive Ausspruch „Schuldig" vollkommen verdient. — Tertia causa afferri potest, quia Cleon Anaxagoram accusavit, Thucydidis praeceptorem (cf. vit. Marcell. § 22 et Krüger Unters. über das Leben d. Thuc. de hac re), si quidem scriptor re vera eum audivit, quod valde probabile videtur, cum Anaxagoram illis temporibus Athenis floruisse constet. De qua accusatione tradidit Diogenes Laertius in vitis philosophorum[42]): Περὶ δὲ τῆς δίκης αὐτοῦ διάφορα λέγεται. Σωτίων μὲν γάρ φησιν ἐν τῇ διαδοχῇ τῶν φιλοσόφων ὑπὸ Κλέωνος αὐτὸν ἀσεβείας κριθῆναι, διότι μὲν ἥλιον μύδρον ἔλεγε διάπυρον· ἀπολογησαμένου δὲ ὑπὲρ αὐτοῦ Περικλέους τοῦ μαθητοῦ, πέντε ταλάντοις ζημιωθῆναι καὶ φυγαδευθῆναι κτέ. Quae accusatio Cleonis, si omnino vera est, nihil in se habet inhonesti, neque video, cur Cleoni ex eiusmodi rebus vitium tribui possit, cum constet, populum ipsum ab eo stetisse et Anaxagoram damnavisse, quamvis defenderet eum Pericles.

Sed haec hactenus. Omitto, ne longus sim, uberius de iis rebus disserere, quas Plutarchus, alii de Cleone afferunt, quia

---

[42]) ed. Cobet, Paris 1850, lib. II, cp. III, No. 9, pg. 35 sq.

paene nunquam suo iudicio utuntur neque nova quaedam tradunt, sed plane Thucydidis et Aristophanis auctoritatem sequuntur.[43]) Perlustravimus Aristophanem atque vidimus, multa quidem vera ab eo afferri, at tamen poetam comica licentia usum nunquam dubitasse, omnia facinora Cleoni obiicere, quare nullam eius iudiciis auctoritatem tribuendam esse. Vidimus, ne Thucydidi quidem in omnibus rebus fidem habendam esse, ut Cleoni certe infestissimo et in rebus politicis adversario. Nam quamquam res ipsas diligentissime afferat, tamen in iudiciis, quae de rebus politicis habeat, non semper vere eum iudicavisse recte vidit Oncken (Athen u. Hellas, 2, 229: Thucydides ist zwar wegen seiner geschichtlichen Treue, aber nicht wegen seines politischen Urtheils mustergültig).[44]) Quare quamquam non ita severe de Cleone iudicavit, tamen scriptor naturam atque indolem viri illius vere popularis parum intellexisse mihi videtur. Verus igitur Cleon neque Aristophanicus neque Thucydidius est, quamquam facile concedo, Thucydidem multo propius ad veritatem accessisse quam Aristophanem. Certe minime vir ab omni parte pravus ac nequam habendus est et tantum eam ob rem in invidiam omnium temporum incidit, quia nisi ab eius inimicis paene a nullo auctore de eo traditum est omnesque qui post eius aetatem vixerunt, plerumque etiam rem in maius augentes, Aristophanis divinam eam quidem sed falsissimam adumbrationem secuti sunt. In republica administranda non leviter Cleonem rem egisse, sed summo opere civium saluti semper studuisse, testatur Plutarchus (reip. ger. praec. pg. 805, 6, 12, cf. Oncken init.), qui Cleonem amicis convocatis amicitiam renuntiasse narrat, ne impediretur, quominus sine ira et studio totum reipublicae se dederet. Fuit Cleon vir magno ingenio praeditus atque summa facultate dicendi, magna et domi

---

[43]) cf. Droysen I, 88: Man wende nicht ein, dass ja das übereinstimmende Zeugniss des Alterthums gegen Kleon sei. Was hilft die Zahl citirter Autoritäten? mehr oder minder ist dem Thukydides oder gar der Komödie nachgesprochen worden cet., von Kleon giebt sie ein scheussliches Zerrbild.

[44]) Consentiunt Brock, pg 22 et Droysen I, 86 et 89.

et belli alacritate atque agilitate, qui quamquam interdum ut vir popularis omnia auxilia adhibebat, dummodo id quod vellet ad finem perduceret, tamen optime de Atheniensibus meritus est, qui denique solus fere Periclis mortui consilia in rebus publicis gerendis cognoverat eaque constanter per septem annos sequebatur, cum in iis solis salutem reipublicae positam esse sibi persuasum haberet. Quare non est mirum, quod ab omnibus, qui a partibus optimatium steterunt, summo odio summisque vexationibus affectus est, quodque etiam a viris doctis nostrae aetatis contionator atque turbator pessimi ingenii paene semper habetur. —

Iam ut omnia diligenter exhibeam, pauca quaedam addenda sunt, quae de Cleonis vitae condicione aliisque rebus hic illic traduntur. — Ac primum quidem de Cleonis parentibus nihil traditum est nisi patrem eius, Cleaenetum, servorum ergastulum possedisse, qui coria depserent. Nam dubitari potest, num Cleaenetus ille, quem affert Aristophanes in Equ. v. 574 et quem Scholiasta psephisma tulisse dicit, ne daretur ducibus σίτησις ἐν τῷ πρυτανείῳ, idem fuerit ac pater Cleonis. Quod Scholiasta quidem non testatur, qui hunc eum fuisse credibile putat, qui Cleoni honorem σιτήσεως paravisset. Haec sunt eius verba: Οὗτος ὁ Κλεαίνετος φαίνεται κατεδηδοκὼς τὴν οὐσίαν καὶ ἡδυπαθήσας. οἱ δέ, ὅτι οὗτος ἔγραψε ψήφισμα μὴ δεῖν δοθῆναι τοῖς στρατηγοῖς σίτησιν. σπανίως δὲ μέμνηται τοῦ Κλεαινέτου καὶ σχεδὸν ἐνταῦθα μόνον. στοχάζονται οὖν τινες ὅτι οὗτος ἂν εἴη ὁ τὴν σίτησιν περιποιήσας τῷ Κλέωνι. — Atque patris nomen fuisse Cleaenetum, Thucydides et Suidas (s. v. Κλέων) satis testantur; errat Scholiasta ad Equ. 44, qui Cleonymum patrem nominat. — Deinde quod dicitur Equ. 447 sqq. Cleonis avus fuisse τῶν δορυφόρων τῶν Βυρσίνης τῆς Ἱππίου, nullius est momenti ut falsa criminatio.

Cleonis filium Cleomedontem affert Demosthenes[45]): πρὸς δὲ τούτοις φαίνεται ἡ μήτηρ μου τὸ πρῶτον ἐκδοθεῖσα Κλεομέδοντι,

---

45) In oratione, quae inscribitur ὁ πρὸς Βοιωτὸν ὑπὲρ προῖκος μητρῴας λόγος, pg. 1016 init., ed. Reiske-Schäfer 2, 137.

οὗ φασι τὸν πατέρα Κλέωνα, τῶν ὑμετέρων προγόνων στρατηγοῦντα, Λακεδαιμονίων πολλοὺς ἐν Πύλῳ ζῶντας λαβόντα μάλιστα πάντων ἐν τῇ πόλει εὐδοκιμῆσαι. Ex quo loco etiam apparet, non omnibus bellicam Cleonis virtutem adeo vituperatione dignam visam esse ut Thucydidi.

Deinde de patria Cleonis Aristophanes Vesp. v. 895 tradit, ubi Cleon vocatur κύων Κυδαθηναιεύς litem intendens cani Λάβητι Αἰξωνεῖ, i. e. Lacheti duci, atque Scholiasta haec habet: ἀπὸ δήμου τῆς Πανδιονίδος φυλῆς. Ascriptus igitur fuit Cleon φυλῇ Πανδιονίδι, δήμῳ Κυδαθηναίῳ, quod etiam vetere inscriptione firmari affert Droysen (I, 268).[46] Quare quod saepissime (maxime in Equitibus, 44 βυρσοδέψην Παφλαγόνα, cf. Nubb. 572, cet.) demagogus a poeta Paphlago nominatur, certe non ad eius patriam referendum est, sed ad eius contionandi rationem (cf. Pac. 314). Rectissime rem exposuit Michaelis, cum dicat[47]): Persaepe ab Aristophane Paphlago nominatur. Verbum παφλάζειν significat ebullire cum fremitu et de eius turbulento dicendi genere usurpatur. Ex hac igitur consuetudine dicendi, aut quia servi saepe Paphlagones nominabantur, Cleon Paphlago appellabatur, non quia ex Paphlagonia, ut alii dicunt, originem suam deduxerit, neque quia Paphlagonibus rerum perturbatoribus simillimus fuerit.

Tum de tempore obitus Cleonis magna est scriptorum dissensio.[48]) Atque satis constat ex Thucydide, Cleonem mortuum esse Ol. 89, 3 in pugna apud Amphipolim commissa (cf. supra).

---

[46]) Fuit igitur eiusdem civitatis, cuius et ipse poeta, si quidem verum est, quod Scholiastae ex didascaliis, ut videtur, Cydathenaeum illum ex Pandionide tribu fuisse acceperunt. Quod comprobant quae inveniuntur in Aristophanis vita ab Aldo primum descripta: Ἀριστοφάνης ὁ κωμῳδοποιὸς πατρὸς μὲν ἦν Φιλίππου, τὸ δὲ γένος Ἀθηναῖος, τῶν δήμων Κυδαθηναιεύς, Πανδιονίδος φυλῆς. De qua re atque de suspicione peregrinae poetae originis cf. Ranke comment. de vita Aristoph. ante Mein. edit. pg. IX et XII.

[47]) Michaelis, de demagogis Atheniensium cet. Dissert. Regimontii Pruss. 1840, 8°, pg. 19.

[48]) cf. Hermann ad Schol. Arist. Nubb. 545, Clinton fast. Hellen. pg. 74 Krüger, Wieland, Uebers, d. Ach. u. Wolken, Wien 1813, pg. 113.

Quo anno[49]) Alcaeum archontem fuisse, satis docent et didascalia Pacis, quae eodem anno docta est (cf. Mein. I, pg. 282, l. 39: ἐνίκησε δὲ τῷ δράματι ὁ ποιητὴς ἐπὶ ἄρχοντος Ἀλκαίου ἐν ἄστει), et Schol. Aeschin. pg. 755: τέταρτον ἀτύχημα οἱ μετὰ Κλέωνος ἐπὶ ἄρχοντος Ἀλκαίου. Quare errat Scholiasta ad Nubb. 549, qui archonte Aminia eum occidisse dicit. Recte apud eundem Scholiastam tempus notat Androtion: καὶ Ἀνδροτίων δέ φησιν αὐτὸν ἐπὶ Ἀλκαίου τεθνάναι δυσὶν ἔτεσιν ὕστερον Ἰσάρχου, ἐφ' οὗ αἱ πρῶται Νεφέλαι ἐδιδάχθησαν.[50]) Quodsi satis constat, pugnam illam apud Amphipolim commissam esse mense Septembri anni 422 (cf. Droysen I, 351), obstat testimonium Eratosthenis, qui octo menses ante Pacem Aristophanis mense Martio anni 421 (magnis Dionysiis Ol. 89, 3) commissam (cf. Droysen I, 349) hominem occubuisse memoriae prodidit apud Schol. Venet. ad Ar. Pac. 48, qui haec habet: Ἐρατοσθένης γὰρ ἐπὶ Θράκης τὸν θάνατον Βρασίδου καὶ Κλέωνος ὀκτὼ μησὶ προγεγονέναι φησί. Ponit igitur mortem in mense Julio vel Augusto, cum sicut ceterae omnes comoediae etiam Pax non post Dionysiorum magnorum solennitatem, quare non post mensem Martium (anni 421) docta esse possit. Sed errare mihi videtur, nisi forte pugnam iam ante mensem Septembrem commissam esse statuendum est.

Tum commoremus aliquantum in alia re maioris momenti. Agitur de mercede iudicum. Namque Equ. vv. 798 sqq. poeta Cleonem promittentem facit mercedem iudicum quinque obolorum, si quando Arcadibus in dicionem redactis ius dicturi essent. Cum enim bene ei notum esset, per Cleonem mercedem iudicum iam semel auctam esse — quod ei poetam crimini dare, etiam ex v. 807 apparet —, hoc modo Allantopolam eum superantem facit magniloquentia vanisque promissis. Atque de hac iudicum mercede (μισθὸς ἡλιαστικός vel δικαστικός) haec statuenda esse mihi viden-

[49]) Ol. 89, 3, quae inde a mense Julio (Hecatombaeo) anni 422 usque ad eundem mensem anni 421 computanda est.

[50]) cf. etiam Athenaeum pg. 218 ibique Casaubonum V, 18, Hermanni praef. ad Nubb. pg. 14.

tur.[51]) Primum adnotandum est, quod recte monuerunt Böckh et Schoemann, saepissime confundi a Scholiastis mercedem iudicum (τὸ δικαστικόν vel ἡλιαστικόν) et mercedem contionis (τὸ ἐκκλησιαστικόν) et mercedem spectandi (τὸ θεωρικόν), quin etiam mercedem militum et oratorum cum illis commisceri. Atque contionantibus primo unum datum esse obolum, postea mercedem illam ad tres obolos auctam esse, ex ipso Aristophane constat, Ekkl. vv. 300 sqq.:

ὅρα δ' ὅπως ὠθήσομεν τούςδε τοὺς ἐξ ἄστεως
ἥκοντας, ὅσοι πρὸ τοῦ μέν, ἡνίκ' ἔδει λαβεῖν
ἐλθόντ' ὀβολὸν μόνον, καθῆντο λαλοῦντες
ἐν τοῖς στεφανώμασιν, νυνὶ δ' ἐνοχλοῦσ' ἄγαν.
ἀλλ' οὐχί, Μυρωνίδης ὅτ' ἦρχεν ὁ γεννάδας,
οὐδεὶς ἂν ἐτόλμα τὰ τῆς πόλεως διοι-
κεῖν ἀργύριον φέρων πιεῖν ἅμα τ' ἄρτον ἂν
καὶ πρὸς δύο κρομμύω καὶ τρεῖς ἂν ἐλάας.
νυνὶ δὲ τριώβολον ζητοῦσι λαβεῖν, ὅταν
πράττωσί τι κοινὸν ὥσπερ πηλοφοροῦντες.

(cf. Ekkl. 187, 283, 292, Plut. 329). Apparet, temporibus Myronidis, qui, Calliae filius, dux fuerat Atheniensium temporibus Periclis, unum tantum obolum datum esse. Quam largitionem ipsum Periclem instituisse suspicari licet.[52]) Postea per Agyrrhium quendam illa merces ad triobolum aucta est. Quod apparet ex Ekkl. 183 sqq. Fuisse tempus dicit poeta, quo cives non ut quaestum facerent, in contionem ivissent, quo Agyrrhium hominem nequam habuissent. Nunc autem merita eius laudare, quicunque mercedem trioboli acceperit, qui non, eum vituperare (Schol. Ekkl. 284: οἱ γὰρ ὕστερον ἐλθόντες οὐκ ἐλάμβανον τὸ ἐκκλησιαστικόν, cf. Ekkl. 185 sqq., saepius, Vesp. 690). Et re vera iam diu non rei publicae salutis, sed pecuniae causa contio fiebat

---

[51]) cf. Böckh Oec. Att. 1, 327 sqq., Hermanni praef. ad Nubb. pg. 50 sqq. (Arist. Nub. cum Schol ed. G. Hermann Lips. 1830), Schoemann de comit. pg. 69.
[52]) cf. F. Voswinkel de Cleone demagogo. Dissert. inaug. Bonnae 1847, pg. 4.

(cf. Plut. 171). Quae pecunia non erat parva[53]), nam tribus illis obolis sextarius tritici (πυρῶν ἑκτεύς Ekkl. 547) emi potuit, et ex Vesp. 1127 sq. apparet, tres obolos fullonem postulasse, ut pallium piscibus frixis inquinatum purgaret. Per Agyrrhium mercedem illam contionum auctam esse etiam apparet ex Ekkl. 96 (cf. Plut. 176), ubi Scholiasta haec habet: Ὁ Ἀγύρριος στρατηγὸς θηλυδριώδης, ἄρξας ἐν Λέσβῳ. καὶ τὸν μισθὸν δὲ τῶν πολιτῶν συνέτεμε, καὶ πρῶτος ἐκκλησιαστικὸν δέδωκεν. Idem igitur ille Agyrrhius mercedem poetarum comicorum minuisse dicitur, quod testatur Schol. ad Ran. 367, qui haec habet: τοῦτο εἰς Ἀρχῖνον. μήποτε δὲ καὶ εἰς Ἀγύρριον. μέμνηται δὲ τούτων καὶ Πλάτων ἐν Σκευαῖς καὶ Σαννυρίων ἐν Δανάῃ. οὗτοι γὰρ προϊστάμενοι τῆς δημοσίας τραπέζης τὸν μισθὸν τῶν κωμῳδῶν ἐμείωσαν κωμῳδηθέντες.[54]) Sed satis iam dictum est de Agyrrhio. Constat, mercedem contionis ab illo ad tres obolos auctam esse, certe vivo adhuc Cleone et nescio an eius consensu, namque iam anno 422 triobolum datum esse, ex Vesp. 690 apparet. — Quodsi iudicum quoque mercedem variasse dicunt Grammatici[55]), quaeritur, utrum hoc pro vero habendum sit, an Grammatici illi hac quoque in re, ut soliti sint, contionis et iudicii mercedem commiscuisse putandi sint. Diverso modo de hac re sentiunt Böckh et Hermann, cum ille mercedem iudicum initio unum obolum fuisse, tum c. Ol. 88 a Cleone ad tres obolos auctam esse contendat, hic mercedem illam semper fuisse triobolum credat. Böckh haec quattuor affert argumenta. Primum variasse mercedem iudicum ipse Aristoteles auctor est apud Schol. ad Vesp. 682 (cf. supra). Confer etiam Schol. ad Equ. 51: ὡς τοσούτου ὄντος τοῦ δικαστικοῦ νῦν καὶ

---

[53]) cf. Vesp. 300 sq., ubi tribus illis obolis mercedis iudicum panis, opsonium, lignum emuntur, cf. Schol.: ὡς τριωβόλου ὄντος τοῦ μισθοῦ, ἀφ' οὗ τὸ τρίτον ἀναλίσκεται εἰς ἄλφιτα, τουτέστιν εἷς ὀβολός, καὶ τὸ ἄλλο ξύλα, καὶ τὸ τρίτον ὄψον.

[54]) cf. Mein. fr. 2, 2, pg. 661, et alium locum Platonis, ubi Agyrrhium acerbe notat, pg. 681.

[55]) cf. Schol. ad Vesp. 682: τοῦτο δὲ ἄλλοτε ἄλλως ἐδίδοτο, τῶν δημαγωγῶν τὰ πλήθη κολακευόντων, ὥς φησιν Ἀριστοτέλης ἐν Πολιτείαις.

τοῦ ἐκκλησιαστικοῦ. οὐχ ὁμοίως δὲ οὐδὲ τὸ αὐτὸ διώριστο. ἀλλὰ κατὰ διαφόρους καιροὺς διάφορος ἦν καὶ ὁ μισθός. Idem testari videtur Pollux, cum scribat VIII, 113: καὶ τὸ διδόμενον ἐκαλεῖτο θεωρικόν, ὥςπερ καὶ τὸ ἐκκλησιαστικὸν καὶ τὸ δικαστικόν· ὅπερ καὶ τριώβολον καὶ διώβολον καὶ ὀβολός. Neque vero ei fides habenda est, cum dicit, aliquando duorum obolorum iudicibus datam esse mercedem. Neque magis fidem habere possumus Scholiastae ad Ranarum v. 140, qui haec habet: Οὐχ ὡς τοῦτο λαμβάνοντος, ἀλλὰ πρὸς τὸν δικαστικὸν μισθόν, ὅτι δύο ὀβολῶν ἦν. ἅμα δὲ διὰ τὸ λεγόμενον, ὅτι τοῖς νεκροῖς ἐπὶ τοῦ στόματος βάλλουσι δύο ὀβολούς, καὶ ὅτι τὸ δικαστικὸν μισθάριον δύο ὀβολοὶ ἦσαν . . . ἦν δὲ καὶ τριώβολον, τοῦτο τῶν στρατηγῶν κολακείας χάριν προστιθέντων. ἐπὶ δὲ Ἀριστοφάνους καὶ δραχμὴν ἦν λαβεῖν. Apparet, omnia eum confundere. Nam cum dicat, duorum obolorum fuisse mercedem iudicum, errat, ut Pollux, cum uterque heliasticum confundant diobelia, dico mercedem, quae dicitur μισθὸς θεωρικός, quam non semper triobolum, sed etiam diobolum fuisse testatur Schol. ad Avv. 1540: Μίγνυσι καὶ ἐκ τῶν ὄντων παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς. οὐχ εἱστήκει δὲ αὐτοῖς τὸ τριώβολον. πολλαχοῦ γὰρ καὶ δύο ὀβολοὺς εἰλήφασιν, cf. etiam Arist. pol. 2, 7, Böckh Oec. Att. 1, 238. Recte enim removit duorum obolorum mercedem iudicum Böckh (Oec. Att. 1, 329 sqq.). Quod affert Scholiasta ille (ad Ran. 140), etiam drachmam accepisse iudices, certe errat, confundit enim mercede oratorum (μισθὸς συνηγορικός), quam drachmam fuisse apparet ex Vesp. 691: αὐτὸς δὲ φέρει τὸ συνηγορικὸν δραχμήν, κἂν ὕστερος ἔλθῃ (cf. Droysen ad hunc locum). Nunquam enim plus quam triobolum iudicibus datum est. Nam Theopompi verba, quae servata sunt apud Pollucem IX, 64: παρὰ μέντοι Θεοπόμπῳ ἐν Στρατιώτισι τὸ τετρώβολον λαμβάνειν τετρωβολίζειν ὠνόμασται: Καί τοί τις οὐκ ἂν εἰκὸς εὖ πράττοι τετρωβολίζων, εἰ νῦν γε διώβολον φέρων ἀνὴρ τρέφει γυναῖκα; non de dicastica, sed de militum mercede intelligenda esse videntur (cf. Mein. 2, 2, 812, Böckh 1, 131). Errat Photius, Lex. pg. 581, 17: τετρωβολίζων· τὸ δικαστικὸν τετρώβολον λαμ-

βάνων· ἐγένετο γὰρ καὶ τοσοῦτόν ποτε. — Quamquam igitur saepe errant Scholiastae, cum duos vel quattuor vel sex obolos datos esse affirment, tamen ex omnibus illis testimoniis constare videtur, variasse mercedem iudicum. Atque illis quidem temporibus mercedem iudicum fuisse triobolum, cum saepe adnotant Grammatici, ut Pollux VIII, 20, Hesych. s. v. δικαστικόν, Suidas s. v. ἡλιασταί et βακτηρία, Suid. et Phot. s. v. σύμβολον, Schol. Demosth. apud Reiske II, 133; tum saepissime apud Aristophanem invenitur, cf. Equ. 51, 255: ὦ γέροντες ἡλιασταί, φράτερες τριωβόλου κτέ., ubi Cleon eam spectantium partem sibi auxilio vocat, quam mercede illa iudicum ad triobolum aucta sibi conciliaverat, Equ. 800, Lysistr. 624 sq. cet.; atque computando etiam demonstrari potest ex Vesp. 661 sqq.:

ἀπὸ τούτου νυν κατάθες μισθὸν τοῖσι δικασταῖς ἐνιαυτοῦ
ἓξ χιλιάσιν, κοὔπω πλείους ἐν τῇ χώρᾳ κατένασθεν,
γίγνεται ἡμῖν ἑκατὸν δήπου καὶ πεντήκοντα τάλαντα.

Sex milia igitur iudicum centum et quinquaginta talenta per annum acceperunt vel 5400000 obolos, unusquisque 900 obolos per annum, triobolum per diem, cum leviter computandum esse in talibus rebus appareat. Confer etiam Vesp. 1121: ὅστις ἂν μὴ 'χῃ τὸ κέντρον, μὴ φέρειν τριώβολον, de triobolo heliastico.

Secundum argumentum affert Böckh locum illum Equitum (vv. 798 sqq.), de quo supra diximus. Aperte hoc loco, sicut saepissime in Equitibus, Cleon trioboli patronum agit. Atque cum per oracula praedictum esse fingat, mercedem aliquando maiorem fore, facile credendum est, minorem eam olim fuisse. — Sequitur tertium argumentum, ex verbis Scholiastae ad Plut. v. 330 haustum. Haec habet: . . . ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ δὲ οὐδεὶς ἐδίκαζεν, εἰ μὴ ἐπέβαινε τῶν ζ' ἐνιαυτῶν . . . τούτους οὖν τοὺς ἐκκλησιαστὰς ἐποίησαν φανερόν τι λαμβάνειν ἀπὸ τῶν τῆς πόλεως προσόδων οἱ δημαγωγοὶ πείσαντες τὴν πόλιν· ὕστερον δὲ ὁ Κλέων ἐποίησεν αὐτὸ τριώβολον. Dilucide apparet confundi a Scholiasta mercedem contionis et iudicii. Nam dubitari non potest, quin, ut ipse Aristophanes hoc loco, etiam Scholiasta de mercede iudicum dicere

voluerit et re vera dicat. Rectissime adnotat, mercedem illam iudicum a Cleone auctam esse. Namque mercedem contionis ab Agyrrhio, non a Cleone auctam esse supra demonstratum est. Tantum errat in verbis. Initio rectissime de iudiciis dicit (οὐδεὶς ἐδίκαζεν), postea, quod non raro accidere facile ostendi potest, ignorans, iudices et contionantes accurate disiungi debere, pro iudicum nomine contionantes scripsit, nisi forte potius pro ἐκκλησιαστὰς emendare volumus ἡλιαστάς. — Restat quartum argumentum. Atque ex Nubb. 861 sqq.:

κἀγώ τοί ποτε
οἶδ', ἑξέτει σοι τραυλίσαντι πιθόμενος,
ὃν πρῶτον ὀβολὸν ἔλαβον ἡλιαστικόν,
τούτου 'πριάμην σοι διασίοις ἁμαξίδα.

sequitur, Phidippide admodum puero unum fuisse obolum heliasticum. Quodsi Phidippides circa Ol. 89, 1 (423), quo anno Nubes doctae sunt, iuvenis erat circiter viginti annorum (cf. init. Nubb.), ante quattuordecim vel sedecim annos, circa Ol. 85 (440) iudices unum obolum accepisse constat. Sed iam antea obolum illum coeptum esse dari, fortasse iam eo tempore, quo Pericles Areopagi auctoritate minuta iudicum sorte electorum potestatem auxerit, recte suspicatus est Böckh (1, 329).

Quattuor illa argumenta infirmare studet Hermann, cum dicat in praefatione ad Nubes, primum et tertium de contionis mercede esse interpretanda, quarto nihil auctoritatis tribuendum esse, namque primum illum Strepsiadis obolum heliasticum unum ex tribus fuisse posse, secundum argumentum admodum debile esse, quamquam et ipse concedit, inde coniici posse, variasse mercedem iudicum. Neque vero mihi persuasit. Nimis multa sunt argumenta rei per se valde probabilis et verisimilis. Quare equidem pro certo habendum esse puto, non alium quam Cleonem fuisse, quo auctore pro uno obolo tres coepti sint dari iudicibus.

Sequitur alia quaestio de Cleonis magistratu. Atque ex Equ. 947 sq.: καὶ νῦν ἀπόδος τὸν δακτύλιον, ὡς οὐκ ἔτι ἐμοὶ ταμιεύσεις apparet, Cleonem fructibus publicis praepositum fuisse

sigillumque populi habuisse. Quod officium publicum eum iniisse sub tempus auctumnale anni 426, ostendit Droysen (1, 83), cf. Böckh 2, 450. Atque hoc munus gravissimum fuisse satis constat, cf. Böckh (ed. II, 1851, 1, pg. 204): Der Vorsteher der öffentlichen Einkünfte war eine der wichtigsten Behörden. In quo munere fungendo certe saepissime facultatem habebat avaritiae explendae (cf. Böckh 1, 179 sqq.), quod eum fecisse saepenumero arguit Aristophanes (cf. quae supra exposita sunt de his plerumque falsis criminationibus) et Aelianus, cum in var. hist. 10, 17 haec tradat: Λέγει Κριτίας Θεμιστοκλέα τὸν Νεοκλέους πρὶν ἢ ἄρξασθαι πολιτεύεσθαι τρία τάλαντα ἔχειν τὴν οὐσίαν τὴν πατρῴαν· ἐπεὶ δὲ τῶν κοινῶν προέστη εἶτα ἔφυγε, καὶ ἐδημεύθη αὐτοῦ ἡ οὐσία, κατεφωράθη ἑκατὸν ταλάντων πλείω οὐσίαν ἔχων. ὁμοίως δὲ καὶ Κλέωνα πρὸ τοῦ παρελθεῖν ἐπὶ τὰ κοινὰ μηδὲν τῶν οἰκείων ἐλεύθερον εἶναι· μετὰ δὲ πεντήκοντα ταλάντων τὸν οἶκον ἀπέλιπε. Cuius rei ne apud comicos quidem poetas mentio ulla fit, neque credibilis ea est, praesertim cum componatur cum Themistocle, homine certe integro. — Quod Oncken, alii negaverunt, Cleonem unquam munere publico functum esse (Oncken, Athen und Hellas 2, 307: Kleon ist ohne Amt, nur Sprecher der Opposition), omniaque, quae de hac re traderentur, falso concludi ex Equ. vv. 947 sqq., non rectum esse mihi videtur, namque si hoc statuimus, verba illa Aristophanis omni sensu atque lepore carent, atque in narrandis eiusmodi rebus, quibus de inimico honesta dicantur, semper poetae fidem habendam esse supra vidimus. Quare equidem sententiam illam sequor, quam proposuit Droysen, atque existimo, Cleonem inde ab anno 426 praefectum aerarii fuisse, comprobante alio loco Aristophanis (Ran. 570), ubi de Cleone dudum mortuo in Tartaro haec dicta inveniuntur: ἴθι δὴ κάλεσον τὸν προστάτην Κλέωνά μοι. Adde quod ex Vesp. 242 sqq.:

χθὲς οὖν Κλέων ὁ κηδεμὼν ἡμῖν ἐφεῖτ' ἐν ὥρᾳ
ἥκειν ἔχοντας ἡμερῶν ὀργὴν τριῶν πονηρὰν
ἐπ' αὐτόν, ὡς κολωμένους ὧν ἠδίκησεν.

apparere videtur, demagogum aliquo modo contionis populi convocandae potestatem habuisse.

Porro Cleonem in republica multum versatum esse, ex eo apparet, quod non raro publicus accusator fuisse dicitur. Iam Periclem adhuc vivum aggressus erat. Nam cum initio belli Lacedaemonii Atticam vastarent atque Athenienses ab agris in urbem cogerentur, Pericles obstitit, ne eruptione facta agri hostibus eriperentur, quamquam populus hanc rem aegre ferebat, amici instabant, inimici ei conviciabantur. In quibus inimicis violentissimus erat Cleon, quippe qui semper in bello gerendo salutem reipublicae positam esse putaret. Atque cum insequente anno Lacedaemonii iterum irruptionem facerent pesteque exorta calamitas augeretur, Pericles reus factus gravi multa affectus est, inprimis accusante Cleone. Huc referendi sunt Hermippi illi anapaesti, quos affert Plutarchus in vita Periclis (ed. Doehner Paris 1846, cp. 33, pg. 204): Ἐπεφύετο δὲ καὶ Κλέων ἤδη διὰ τῆς πρὸς ἐκεῖνον ὀργῆς τῶν πολιτῶν πορευόμενος ἐπὶ τὴν δημαγωγίαν, ὡς τἀνάπαιστα ταῦτα δηλοποιεῖ τὰ Ἑρμίππου: . . . (scil. Pericles) δηχθεὶς αἴθωνι Κλέωνι, cf. Plut. Per. 35: ἐπεγράφη δὲ τῇ δίκῃ κατήγορος, ὡς μὲν Ἰδομενεὺς λέγει, Κλέων (cf. Droysen 1, 81). — Postea Lachetem ducem a Cleone repetundarum postulatum esse, ex Aristophane ipso facile intelligitur (cf. Vesp. 240 sqq., 836 sqq.), affirmatur a Scholiastis. — De Anaxagorae accusatione supra dictum est (cf. Diog. Laert. vit. phil. II, 3, 9, pg. 35 sq., ed. Cobet). — Postremo Delios anno 422 Cleone auctore expulsos esse, quia illos cum Lacedaemoniis conspirare putabant Athenienses, testatur Thucydides (V, 1), cf. Böckh Abh. d. Ac. d. W. 1834, pg. 6, Curtius gr. Gesch. II, 455, Droysen 1, 263.

Omitto notam illam Aristophanis (Equ. 901), Cleonem habuisse caput rutilum. Nam quamquam certe verba Aristophanis in Cleonem dicta sunt atque errat Scholiasta (ἦν δὲ οὗτος ὁ Πύῤῥανδρος πονηρὸς καὶ συκοφάντης), tamen quod semel Cleon nominatur Πύῤῥανδρος, non putandum est, eum re vera rutilum fuisse; quod

certe Allantopoles ille non tam leviter tantum tetigisset, si verum fuisset.

Unum restat, de quo referatur. Dico Cleonis singularem modum in litteris scribendis. Praeponebat enim epistolis χαίρειν, quod postea in consuetudinem venit, cf. Diog. Laert. lib. II, cp. 3, No. 36, pg. 82. Testatur hoc Scholiasta Aristophanis ad Nubb. v. 609: Τὸν Κλέωνά φασιν ἀπὸ τῆς Πύλου καὶ Σφακτηρίας τοῖς Ἀθηναίοις ἐπιστέλλοντα, χαίρειν προθεῖναι· ὅθεν γέγονεν ἐν χρήσει; quod negat alter Scholiasta ad eundem versum, qui haec habet: | Ἄλλως. | ἀρχαῖον ἦν ἔθος προτάσσειν ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς χαίρειν. οὐ γάρ, ὥς τινες, Κλέων οὕτως πρῶτος ἐπέστειλεν Ἀθηναίοις ἐκ Σφακτηρίας, neque vero recte, ni fallor. Idem enim testatur Schol. ad Plut. v. 322: περὶ τοῦ ἐν τῇ συνηθείᾳ χαίρειν τοῦ τε ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς, γέγραπται Διονυσίῳ μονόβιβλον περὶ αὐτοῦ. (Dionysius ille quis fuerit definire, non est pronum, Hemst.) καὶ λέγει μὲν ὑπὸ Κλέωνος πρῶτον αὐτὸν τετάχθαι γράφοντος πρὸς Ἀθηναίους, ὡς ἕλοι τοὺς ἐν Σφακτηρίᾳ, Κλέων Ἀθηναίων τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ χαίρειν.

---

Typis expressit Gustavus Lange, Berolini.